

PANEGYRICVS  
ILLVSTRI  
AC GENEROSO DOMINO

ARNOLDO COMITI IN BENTHEIM,  
Tecklenburg & Steinfurt, Domino  
in Rheda & Vvevelck-  
hoven, &c.

*Novam Scholam aperienti  
Schuttorffij, dictus.*

THEOCRITVS.

Προπάθει μὲν ἐν ὀφειδονεῖ, ἀντιπάθει  
δὲ ὄλως ὄχ ὄρα.

NORIBERGÆ,  
*Typis Christophori Lochneri, &  
Johannis Hofmanni.*

M. D. XC.





A D E V N D E M  
E L E G I A .

**V** T quondam neglecta sinus, incompta capillos,  
In viduo sedit Laodamia toro.

Cum carum pugnax retineret Troia maritum,  
Urbs cinis heu misero Protesilae tibi.

Sape illam Graia festis adiere puella  
Vocibus his, cultus indue virgo tuos.

Lucida cur fronti (subductam exporrige frontem)

Gemma? quid à tergo nexile pondus abest?

Haud aliter, discincta comas, Ecclesia palans

Quod fleat, & plangat, quodq; queratur habet.

Non quia Sponsus abest, & abest tamē ille, nec illa  
Sustineat vidua tristia signa domo.

Ille et enim superest, praesens virtute, sed absens

Corpore, quid multis? semper adest & abest.

Sed quod tot scelerum facies, fraudesq; doliq;

Haud puram exagitent, innocuamq; satis.

E L E G I A.

Hinc meritò meritas patiatur squallida pœnas,  
 Atque æqua Sponsi mente flagella ferat.  
 Hinc se bella foris crucient, atq; eminus hostis,  
 Cominus in medio dogmata falsa sinu.  
 Atq; latus fodicent (nomen venerabile) fratres,  
 Quorum est cum ficto nomine ficta fides.  
 Et vano Reges misera pro viribus ausu  
 Insultent, hoc sub pondere pressa gemat.


Tu casus miserate graves Comes inclite, alumna  
 Fers gratam affectæ gratus alumnus opem.  
 Solaris mœstam, legesq; scholasq; reformans.  
 Publica ne pessum hac res eat arte caves.  
 Tu benè sublatis inter fera prælia signis  
 Sperandum docta de pietate jubes.  
 Macte ista virtute Comes, conatibus istis  
 Aspiret nullo se remorante DEVS.  
 Ille suam Sponsam, Sponse quoq; servet alumnos,  
 Aeternumq; beet teq; tuosq;. Vale.

C T.

S.

H. H. D.

J L L V.



# ILLVSTRIBVS

AC GENEROSIS DOMINIS

*Everuino Virico, Adolpho, & Arnoldo Iodoco  
è Comitibus in Bentheim, Tecklenburg & Stein-  
furt, Dominis in Rheda & Uuevelhoven, &c.*

*Germanis fratribus, ingenij caussa  
peregrinantibus.*



EX IEHOVA EST, ILLVSTRES ET  
generosi Domini, Exodi XX, repetita ab  
Euangelista Matthæo cap. XV. Τίμα ἴνυ πα-  
τέρα σὺ, καὶ τὸν μητέρα, ad quam octavo ἡθικῶν  
alludens ex naturæ præscripto, & experien-  
tia Aristoteles, DEO & parentibus, nemi-  
nem paria facere pro meritis & retribuere tradit, sive ut ipse  
loquitur ἐν τοῖς πρὸς εὐδ. δευτ. πρῶτις καὶ γονεῖς εὐδ. εἰς γὰρ τὸν ἀξίαν  
πῶτ' ἀνὴρ εὐδ. οἶα: & verè. Retribuisse verò vel ex voto mihi vi-  
dentur (si tamen retribuimus & ut rectius dicam ἀντιπελαρ-  
γῆμι, quod nefas est omittere) qui expectationi parentum  
respondent, eorundemq; præstantiam & virtutem in omnibus  
imitantur, ad quos utique æmulandos velis remisq; elabora-  
re, quorumque mores pro legibus habere, par esse, Isocrates  
(è cuius ludo innumeri exierunt Principes,) auctor est. En au-  
tem vobis virtutem illam & præstantiam parentū, parentum  
A 3 inquam

inquam, ideoque vestram quodammodo. Quemadmodum enim parentum anima filij secundum Euripidem: ita eorundem virtus, in cuius haud secus ac hereditatis venistis possessionem, filiorum propria est, quam Panegyristes sententijs licet aliunde præceptis interdum, id quod de eiusdem Isocratis panegyrico Philostratus & Plutarchus affirmant, non tamen ut Cyripædian apud Xenophontem: sed ad historix fidem exhibet, ut I. C<sup>torum</sup>. verbo utar. Iehova vos spiritu suo regat, tandemq; parentibus salvis & sanis sanos & salvos sistat. Data NORIBERGÆ ipsis Calendis Ianuarij, Anno ultimi temporis millesimo, quingentesimo, nonagesimo.

V V. G G.

*Studiosissimus*

*Christophorus Lochnerus*  
*Typographus.*

O R A



ORATIO

IN QVA AD HISTO-  
RIAE FIDEM DE OFFICIO VIRI

PRINCIPIS ET RECTA PVERORVM

educatione, institutione dis-  
seritur.



POLLONIUM TYANEVM, CVM  
ad capessendas literas, nobilem il-  
lam peregrinationem, octo libris  
à Philostrato celebratam, susce-  
pturus esset, optasse legimus, ut viros bonos, &  
inveniret, & agnosceret, idq; à Sole (more  
Persis usitato) enixis precibus expetivisse.  
Quod quidem votum, uti citra culpam non  
laudari magnoperè non posse: ita ad Solem de-  
precationem, non posse non vituperari, asserit  
alibi, undecunque doctissimus Picus, ille Mi-  
randula Comes, & rectè. Si nanq; id muneris  
est optandum, efflagitandumq; non à Persico  
aliquo

aliquo Mithra (sic Solem illi vocant) sed DEO Optimo Maximo, illis proculdubio summoperè letandum est, quibus contigerit, non modo bonos agnoscere; sed etiam hos ipsos, in sinu, & propria patria reperire potius, quàm invenire. Quam cum nobis felicitatem, sive voto expetitam, seu à <sup>μην</sup> <sup>αὐτῆς</sup> <sup>ὀβλατῆς</sup> oblatam, nō animadvertere, multò verò magis invidere, nefas sit, animiq; sub oculos & conspectum posita negligentis: non tamen adfirmare liquet, tibi ne, illustris, & generose Domine, cuius auspicio humanitatis litera velut quodam pietatis connubio junguntur, & confarreationis jure devinciuntur, animum istum verè heroicum, an Reipub. magis gratuler. Ut ut sit, imprimis illa sacrorum premissa <sup>δεὸς, δεὸς,</sup> quæ veteres, in operis cuiusque vestibulo, boni ominis, & liquidioris augurij gratia, ingeminasse, Pausanias asserit, præfari libuit, uti in omnibus, quæ vel dicimus, vel cogitamus, à DEO ducendum esse initium, rectissimè alibi monuit Plato, nimirum, ut principium rectum compar sequatur

finis.

finis. Tibi igitur Iehova Optime, Maxime,  
 qui Solem, ut diei, lunam, & stellas, ut nocti præ-  
 essent, fecisti Psalm. 136. qui fons & autor bono-  
 rum omnium es, Joan. 3. qui voluntatem, facultatem, & perfectionem largiris solus. 1. Petri 5.  
 a deoque tuorum adiutor es. Genes. 35. Psalm. 19.  
 cuius gratia omnia tribuenda, 1. Corinth. 4. cuius  
 misericordia semper prædicanda, Psalm. 89.  
 grates ante omnia agimus, quod eum nobis Ma-  
 gistratum, Joann. 19. Maiestatis tue admini-  
 strum, dederis, qui in toga, & pace, de bello, &  
 in medio sacri huius belli furore, & in tristi hac  
 morum, & disciplina corruptela, quidlibet quæ  
 audèdi licentia, plus quam barbarica, quarum  
 salutem in extrema stare tegula, de quibus tan-  
 tum non cõclamata vasa, actum quæ putabamus,  
 de religione, de literis, quibus & clauso, & re-  
 cluso fanit templo opus est, cogitet, aperto quæ ludo  
 literario, sublato velut signo, benè sperare ju-  
 beat, de tua denique (ut compendio dicam) gloria  
 sit sollicitus. Tibi verò generose Domine, quas  
 eapropter statuas colosseas, quarum cum religione

Divini no-  
 minis invo-  
 catio & voti  
 nuncupatio.

B

usus

usus prodijisse videtur, obeliscos, & aras pone-  
 mus? Sed quas aras? busticeta (ut ait Arnobius)  
 in opus structa fœdissimum, atque in sedem fa-  
 bricata fœtorum, valeantq; apud Aegyptios  
 statua: nos, si quidem optimus ille Orator, opti-  
 mus Imperator, optimus Senator, Cato, eas de-  
 trectarit (ut est in historia Romana) dicens,  
 prestare posteris, cur eas sibi poni noluerit, qua-  
 rēdi causam esse, pari modestia de te sentimus,  
 tibiq; hoc animi tui propositum gratulamur,  
 vota q; pro salute tua, tuorumq; nuncupamus,  
 propter quæ fas est genua incerare Deorum, di-  
 gna, quæ semper suscipiantur, semperq; solvan-  
 tur. Felix illa dies, quæ hanc curam tibi, & soli-  
 citudinē suggestit, dignissima, quæ summa cum  
 utilitate nostra, summa cū tua laude condatur.  
 Tibi pariter Schuttorsium gratulamur, non  
 tam ob loci Genium, situm, aspectum, amœni-  
 tatem, fecunditatem, rerum penè omnium fa-  
 cile parabilem copiam, montes, fontes, flumina,  
 pascua, prata, sylvas, nemora, civium concor-  
 diam, benevolentiam, (quanquam & ob id  
 quoq;)

Gratulatio-  
 nes & πρὸς  
 πρὸς.

quoq<sup>3</sup>) verum eum tibi illuxisse diem, quo religionem verã, ad divina voluntatis formulam, & prescriptum, quomodo ab ipsis Apostolis accepta, tradita, & propagata est, instauratam, apud te vigere, & florere, videreliceat: quo pueri, & iuventus tua, non Edusa, Potina, Cuba, Fabulino, aliisq<sup>3</sup>, seu diuis, seu demonibus initientur, sed vera pietate, animũ (à quo in ipsum corpus, ex Zamolxidis doctrina apud Platonem, omnia vel bona, vel mala demanant,) ab ipso lacte, & incunabulis imbuant, humanioribus, & liberalioribus disciplinis induant. De religione, vera scilicet, qua hoc sola nominis meretur, si Lactantio fides, dicam, præcipua civitatum omnium benè constituendarum basi, paulo post: nunc de literis, qua famulantur eidem, quibus <sup>ἀνδρῶν τῆς ἀρετῆς</sup> ceu polypũ capitibus, unum inest malum, unum etiam bonum, si accedat, Plinij verbis advocatis, tuam tibi felicitatem subsignare, opera nõ fuerit vacãtis. Proximè cum in patria mea fui, (ait ille ad Cornelium Tacitum) venit ad me salutandum, mu-

„ nicipis mei filius, huic ego, studes? inquam, re-  
 „ spondit etiam. Ubi? Mediolani. Cur non hic?  
 „ Et pater eius (erat enim unà, atque ipse addu-  
 „ xerat puerum,) quia nullos hic Præceptores ha-  
 „ bemus. Quare nullos? nam vehementer intere-  
 „ rat vestra, qui Patres estis, Et oportune com-  
 „ plures Patres audiebant, liberos vestros hic po-  
 „ tissimum discere. Ubi enim aut iucundius mo-  
 „ rarentur, quàm in patria? aut pudicius conti-  
 „ nerentur, quàm sub oculis parentum? aut mino-  
 „ re sumptu, quàm domi? Quantulū est ergo, col-  
 „ lata pecunia, conducere Præceptores? quodque  
 „ nunc in habitationes, in viatica, in ea qua pere-  
 „ grè emuntur, impenditis, adijcere mercedibus.  
 „ Atq; adeò ego, qui nondum liberos habeo, para-  
 „ tus sum pro Rep. nostra, quasi pro filia, vel parē-  
 „ te, tertiam partem eius, quod cōferre vobis pla-  
 „ cebit, dare. Totum etiam policerer, nisi time-  
 „ rem, ne hoc munus meum quādoq; ambitu cor-  
 „ rumperetur, ut accidere multis in locis video,  
 „ in quibus Præceptores publicè conducuntur.  
 „ Huic vitio uno remedio occurri potest, si pa-  
 „ renti-

rentibus solis jus conducendi relinquatur, ijs-  
 demq̄ religio rectè judicandi, necessitate colla-  
 tionis addatur. Nam qui fortasse de alieno  
 negligentes, certè de suo diligentes erunt: da-  
 bunt q̄ operam, ne eam pecuniam, nō nisi dignus  
 accipiat, si accepturus & ab ipsis erit. Proinde  
 consentite, conspicate, majoremq̄ animum, ex  
 meo sumite, qui cupio esse quamplurimum, quod  
 debeam conferre. Nihil honestius præstare libe-  
 ris vestris, nihil gratius potestis patriæ. Educen-  
 tur hic, qui hic nascuntur, statimq̄ ab infantia,  
 natale solum amare, frequentare, consuescant.  
 At q̄ utinam tam claros Præceptores conduca-  
 tis, ut finitimis oppidis studia hinc petãtur: ut q̄  
 nunc liberi vestri, aliena in loca: ita mox alieni,  
 in hunc locum confluant. Hæc ille, quid enim  
 prohibet, à quocunq̄ primæ literaturæ antesi-  
 gnano bonarum rerum, & sententiarum ver-  
 suram facere? Ut non sit jam vobis, liberisq̄ ve-  
 stris necesse, cum Pythagora, Democrito, Em-  
 pedocle, Platone, & Apollonio, intrare Persas,  
 pertrāsire Caucasum, Albanos, Scythas, Mas-  
 sagetas,

*Sagetas, Babylonios, Medos, Assyrios, Phœnices, Arabes adire Philosophiæ gratia. At ne cervicosior aliquis reuerrat, & nos de curru loqui, εν φακῆ μηρόν, .i. in lente unguentum ostendere, opinetur, & quod Palladi selem coaptare nitamur, τὰ τῆς χημείας κρύβια .i. Alchimia mysteria, Iasonis χρυσόμαλον δ'έρας .i. aureum vellus, priscam illam Mercurij Trismegisti Theologiam, illic tradi, polliceri hic exiles scholæ puerilis adores, & in tenui (ut cum Marone dicam) laborem esse, scholam sisti, aperiri ludum, in quo Grammatica, Dialectica, linguarum, & grauiorum Humaniorū disciplinarū initia tradantur, & pietatis semina spargantur. Esto sanè in tenui labor, at tenuis non gloria, eodem auctore & fundo. Non sunt contemnenda quasi parua (quasi, inquam, cum Fabio) sine quibus magna constare non possunt. An superiorum illud studiorum genus, literarū harū adminiculo non indiget? Grammatica sciētia (de reliquis nanq̄, in tuto omnia) Grammatica dico, non trivialium præceptorum illorum gnara, quæ nobis a b c darios, nomina-*

Humaniorū  
 disciplinarū  
 initia & pie-  
 tatem, rectæ  
 sciētia, quæ  
 sine Deo est,  
 & Philoso-  
 phiæ præ-  
 ferri.

Παραδοξολογία  
 & concessio.

minarios, & Syllabarios, ut cum Hieronymo dicam, exhibet, sed quæ per omnium auctorum, utriusque literatura castra, uti exploratrix, transit, & omnia limat, quanto perè non utilis modò, & necessaria Theologo, Iureconsulto, Medico: sed & suos ornet, in confesso est, neq; ea de re agitur, nec longè (si quis requirat) exempla petantur. Melanchthones certè, (ut hoc ἐν τῷ ὁδῷ, i. in transcurso & obiter, citra invidiã & livorem veterum & recentiorũ, addam præfiscini) Camerarios, Hotomanos, Cuiacios, Pythoeos, Iunios, Mercuriales, Muretos, Canteros, Turnebos, Gifanios, Palmerios, Manutios, Bembo, Agricolas, Erasmos, Lambinos, Røvardos, Pighios, Barbaros, Politianos, & qui in reliquam non Grammaticorum tantum, sed & eruditorum penè omnium plebem, justissimam exercent, sine provocatione, dictaturam, Scaligeros, & Lipsios, totius antiquitatis promptuaria, præterire non possum, non, si capiundos mihi sciam esse inimicos, omnes homines. Sed & si quis hanc frontem cingendam

baccare

baccare arbitretur, is plerosq̄ tanta jamdu-  
 dum, in literis auctoritatis esse sciat, ut nisi eo-  
 rum, velut maximorum Prætorum decretis, in  
 bonorum auctorum, monachorū, & correcto-  
 rum, librariorum istorum mancipum, superio-  
 ris ævi, inscitia, & audacia corruptorum, pos-  
 sessionem mittantur, parum stabile rei literaria  
 jus futurum sit: quibus exortis plus honoris su-  
 periorum illarum disciplinarum professio, an  
 Grammaticæ scientia, quarum hic principia  
 ponuntur, cōtulerit, haud facile dijudicaveris.  
 Platonem etiam nos, quem Cicero, se vehemē-  
 ter sequi, & Philosophorū Deum asserit, quem  
 unum, ex omnibus Philosophis, & proximè ac-  
 cessisse ad nostram doctrinam, & paucis ab ea  
 decretis discessisse, Augustini, Calij, aliorumq̄  
 auctoritate persuasi, credimus: Pythagoram,  
 Italica Philosophia principem, quem in omni-  
 bus ferè imitatur Plato, cuius instituta, eo sem-  
 per honore fuisse, & gloria, Græcorum & La-  
 tinorum consensu firmatur, ut divini Pythago-  
 reis honores tribuerentur: Democritum, Em-  
 pedoclem,

pedoclem, Apollonium, cui Hierocles CHRISTVM, DEI filium, quò ad mores, quò ad miracula, cōferre conatus est, sed frustra, magnos hos Philosophos quid ni magni fecerimus? ut meretur: dicā tamen quod sentio, secretiorem eorum metaphysicam, primam philosophiam, Hebraeorū, Chaldaeorū Cabala, arcana Talmudica, Mercurij speculationes, aliāq; seu Magia, quæ Xamolxidem, seu quæ Zoroastrem, (quam Plato in Alcibiade DEI cultū esse opinatur) auctores habet, seu occultioris Physicæ theoremata, & magnifica illa *ἑλκυστα, ἰόνυματα ἑπιμύτωρ*, i. verborum portenta, quorum gratia tantoperè desudarunt, tricas esse tellenas, enigmatum sirpos, & nil aliud, quàm illas in Aegyptiorum templis exsculptas sphynxes, nodos in fano Delphico, ut q; cū Agellio, seu Catone maioris, dicam, merè mortuaria glossaria, & eius generis esse, ut non immeritò CHRISTVS Servator, suos sibi ab ijs præcauendum monuerit, tantum abest, ut cum hac vestra felicitate, Platonice legibus frigidior, & Agrippa infœcundior, eorum Philosophia confer-

ri, minus verò eidem præferri debeat. Philosophiam dico, & Philosophos, monogramos istos, palliata medicabula, qui scholæ, nō vitæ discunt, Stoicorum, Epicureorum, Cynicorum, apud quos ut opinionum absurdarum, & questionum ineptissimarum, plena sunt omnia: ita, quò huic opsonio, sua (uti prisca loquebantur) addatur mantissa, pari verborum fœditate, traduntur: non illam puram, nitentem, cuius Ecclesiæ DEI necessaria adminicula sunt, quæ demonstrationum fundamentis extruitur, qualis Academicorum posteriorum fuit. Cōstantissimum enim illud est, ut Calij utamur verbis, naturalis, primæq; Philosophia, quæ suis nixarationum radicibus demonstratur, nil unquam ab Aegyptijs acceptum, aut Chaldeis, quando eius scientiæ, aut expertes omninò, aut parum in ea profecisse, velut sorices, suo se indicio prodant, & deprehendantur. Sicubi verò Averrois apud Chaldeos perfectam fuisse Philosophiam tradat, hoc non de ijs, quorum nomina supersunt, intelligi: sed hereseos continere vanitatem, &c. Tu generose

Nō omnem  
Philosophiã  
pietati officere.

nerose Domine, ut à Chio ad Coum, & ad te  
 maturè recurrat oratio, non vate vellicante  
 aurem Delio, non fodiente latus Cynthio, ve-  
 rum inspirante DEO, animum induxisti prabe-  
 re nobis ludos, DEO inquam, siue ut Prudentius  
 loquitur DEI plenus. Pythonem illum Aenium,  
 re benè de Cotye gesta, eoq; interfecto, Athenas  
 venisse, & exclamasse, refert Plutarchus au-  
 ctor gravissimus: Viri Athenienses, hac DEO-  
 RVM quisquam confecit, nos manum accommo-  
 dauimus. Quo modo sua pharmaca Philon  
 Medicus rectissimè vocitare solitus est *θεῶν χε-  
 ρεῖν*. Quantò id iustius de te adfirmare possumus  
 nos? qui non Stoicorum fatum, sed *δ' ἐκ θεοῦ* &  
 DEI providentiam liberrimam profitemur, Ie-  
 hovam Optimum, Maximum, tibi hanc men-  
 tem suggestisse, has vires suppeditasse, triumq;  
 Imperij Comitatum habenas, quas, non nisi  
 divinitus dari, Titus ille Vespasiani filius, &  
 cuius hac in re nō paulo dilutior est auctoritas,  
 Paulus Apostolus, ad Rom. 13. testantur (quan-  
 do juxta Chrysippū, ne minima quidem rerum

Conatum,  
 Successum,  
 Imperium  
 à Deo esse.

particula secus habet, quam juxta Iovis voluntatem) ab aeterno credidisse, & destinasse. Hoc (inquā) numine sufflaminatus nobis ludos praebes, non, quales olim Nero, Iuvenales, non quales Augustus & Claudius, Seculares, Apollinares, non trilingues, quales aliquando Caesar exhibuit, quos spectare hyposoloecum putat Cicero, extra omnem ingenij aleam positus, ut cum Plinio dicam, & quos turpitudinum & vanitatum, spectacula vocat alicubi Augustinus, non gladiatorios illos, & cruentos, quales Romani veteres, in illustrium virorum, & foeminarum funeribus, in convivijs, in theatris, sive ab Hetruscis, seu Campanis acceptos, pro salute Principis, & ad demerendum populum, publice, privatimq; edidere, quos ex Christianis Prudentius, Cyprianus, Constantinus Caesar, jure, atq; lege lata increpant, incilantq; in quibus tyrones, non rudibus batuere, non armis, sublatis, & dictatoribus uti insuescant, in quibus nō Secutor cum Retiario, Hoplomachus cum Samnite, committatur: Sed illorum ludorū Mu-

Qualis hic  
ludus eda-  
tur.

nera-

nerator, & Editor es, in quibus tenera aetas, non adustionē, necē, verbera, nō ad Laconum diastigiosin, juramento, vel exemplo constringatur, ubi non Musicam tantum, ut apud Arcades, non arcus tendere, sagittas excutere, ut apud Parthos, non hastam vibrare, quod veteribus Germanis, non venari, quod Lucanis in more positum, non pugnare cominus, & equitare, quod Romanis usitatum, sed ad veram pietatem, quæ presentis, & æternæ vitæ promissionem habet, i. Timoth. 4. de qua tota Philosophorum, istorum natio, magis muta quàm piscis, ubi non gloria vana, & inanis, non vindicta (inhumanum verbum auctore Seneca) non rude donari: sed æternum cum DEO vivere, auctoramentum est, informetur, veris de DEO opinionibus, ab ipso lacte, defecatis, ac sinceris moribus, vitæ probitate, humanioribus literis, quæ presidio nobis in hac vita, ornamento, & solatio sunt, imbuatur, erudiatur, & ut rem in pauca conferam, ubi solida pietati, virtuti, felicitati fundamenta jaciantur. Vera est illa Platonis sententia,

Quanti opi-  
 tionibus re-  
 ctis à puero  
 referat in-  
 suescere.

*tia, & à Cicerone, oraculi instar, repetita. Bea-  
 tum eum haberi posse, cui contigerit, etiam in  
 senectute, veram sapientiam, verasq; opiniones  
 adsequi. Unde non abs re Themistocles, huic  
 nanq; hoc, quod alij Theophrasto, tribuit Hiero-  
 nymus, cum expletis centum, & septem annis,  
 se mori cerneret, dixisse fertur, se dolere, quod  
 tum egrederetur è vita, quando sapere cœpisset.  
 At quantò beatius nō umbras illas virtutum  
 sectari, non in senectute demum, & etate fessa,  
 qua nisi pueritia benè acta, vix est, ut bona esse  
 possit, sapientiam, rectasq; opiniones, sed ab ipsis  
 incunabulis indipisci, verarum virtutum po-  
 nere fundamenta, quin potius rudimenta? (Sic  
 etenim alibi auctor in literis eminentissimus,  
 Seneca, artium rudimenta esse, non opera vult)  
 Et sint rudimenta sanè, modò maximarum pa-  
 riter rerum, & graviorū artium fundamenta.  
 Quis collapsis, aut non ritè positis fundamentis,  
 de erigendo, vel fulciendo fastigio laboravit  
 unquam, eademq; & constructi, & construendi  
 operis partem vel maximam, nisi aliquis de*

Ceri-

*Ceritum tabulis, esse inficiabitur?* ὅτι ἀρχαίου μὲν  
 ἄλλοι μὲν μὴ εἶναι, Socratem dixisse Laërtius refert,  
 πρὸ μικρῶν ἴ, i. benè incipere parvam rem non esse,  
 sed propè rem totam. Ut non immeritò, illud,  
 ἀρχὴ ἡμῶν πάντων, & Horatianū illud, Dimidium  
 facti qui benè cœpit, habet, hic valere debeat.  
 Non literarum nunc encomium paro, sine qui-  
 bus, vitam mortem esse, & vivi hominis sepul-  
 turam dixit ille, quarum utilitatem, ne dicam  
 necessitatem Licinio Imperatore, sordidissimo  
 imperitiæ conceptaculo, virus eas esse, & pestem  
 publicam dictitante, paulò exactius Iulianus  
 Apostata, nec non Xerxes, Persarum Rex, quo-  
 rum hic, ut est apud eundem Plutarchum, Ba-  
 bylonijs, ab imperio suo desciscens, ille, ut  
 Tacitus refert, Christianæ religionis odio planè  
 Vatiniano, Judæis, literis, ac militia interdixit,  
 pervidisse videntur, sed consilium, quo pie-  
 tati, (qua vacuos) literas, (quibus solis conten-  
 tos fuisse videmus Philosophos) junxisti, adape-  
 rio. Nimirum cum omnium nostrorum con-  
 siliorum, studiorum, actionum, totius denique

Rectissime  
 pietati lite-  
 ras iungi, &  
 vice versa

A fine sum-  
 mo rectè de  
 medijs &  
 principijs  
 statui.

vita

vitæ scopus, & finis, siue is, ex statu rei cuius-  
 que perfectissimo, vel de maximè proprijs re-  
 rum agendarum actionibus, aut ab immoto  
 universæ naturæ ordine, quo unumquodq̃ ad  
 aliud se præstantius refertur, consideretur, non  
 alius sit, quàm erudita pietas, hoc est, rectè DEVM  
 nosse, quæ certissima salutis est scientia, aut apud,  
 Ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri, ut ait  
 Lucretius, citra quam omnis flaccescit erudi-  
 tio: tum artem illā tenere, qua ad DEI gloriam,  
 bona etiam humana, publica, & privata pro-  
 curanda nobis relicta sunt, ut etiam salutaria  
 proximo, in toto vitæ studiorumq̃ curriculo di-  
 camus, agamus, perficiamus, animiq̃ nostri  
 proeresin religiosam simul, & congruentem  
 actionum externarum praxin, DEO approbe-  
 mus, quem noctuinis planè oculis Philosophi in-  
 tuiti sunt, quando in naturæ perfectione, nescio  
 quam felicitatem collocarunt, & triste illudra-  
 tionis, cum voluntate, & affectibus humani  
 cordis, divortium, sicco pede, præterierunt: an  
 exile nobis, & leve hoc beneficium tuum videri  
 debet?

debet? scire quo modo coli, qua via adiri, quo cultu placari, reconciliari, & propitiari nobis velit, & possit Iehova: non beatitudinem, non perfectionem ullam, & natura nostra  $\delta\lambda\alpha\kappa\lambda\eta\epsilon\iota\alpha\mu$ , extra sui cognitionem, & invocationem veram, (cuius hic tyrocinia fiunt) sperari posse. Cui rei si quidem subida hæc natura par non sit, planeq; coecutiatur, Iehovam pro immensa sua bonitate in verbo suo præeuntem, quâ publicam, Ecclesiam, Politias: Oeconomiam, quâ privatam, regis, & moderaris, ita sequeris, ut nihil prius habeas, quàm ut ad veram pietatem, & virtutem, imbecillis etas fingatur, flectatur, & æternum CHRISTO, in ditionibus tuis, peculium colligatur. Res digna, ob quam non vadimonium modo deseratur, sed & visa tot Martyrum myriadibus dignissima, ob quam vitam cum morte cõmutarent, & Sambico graviora paterentur. Agnovit hoc eximius ille DEI Prophetæ David, si ve is fuerit de Coritis aliquis, Psalm. 84. ubi Melior (inquit) est dies unus, in atrijs tuis, quam alibi mille. Unicâ petij à DOMINO, hanc

D

requi-

22 requiram, ut habitē in domo Domini, omnibus  
 22 diebus vitæ meæ. In quo instituet adolescens viā  
 22 suam? Psal. 119. Si prudenter se gerat, juxta ser-  
 mones tuos. Et quanti verum de rebus judiciū,  
 rectasq; ab infantia opiniones imbibisse, refe-  
 rat, ostendunt illi, optimè de Ecclesia CHRISTI  
 meritorum Patrum, Græcorum, Latinorum  
 cōgressus, & certamina, cum hæreticis, nec non  
 tristes illæ Philosophorum, de finibus (de quibus  
 vel maximè inter omnes constare debebat) al-  
 tercationes, de felicitate, & summo bono, de  
 anima, de mundo, & qui universorum Domi-  
 nus est, de DEO, Lynce magis varia, & absur-  
 da opiniones, dū hic Solem, ille Lunam, hic tres,  
 ille quatuor, ceterum, trecentos Ioves (ut est apud  
 Varronem) alius triginta millia Deorum, ut est  
 apud Oenomaū, quinimò innumeros, ut Chry-  
 sippus Stoicorum ille somniorum vaferrimus  
 interpres, & δῆμον θεῶν, quid dico? febres, feles,  
 hircos (pudet dicere) in unius, & veri DEI lo-  
 cum substituit. Unde liquido patet, quam sit,  
 sine DEO, de DEO loqui, ut Lucianus ait, ἢ τοῦ θεοῦ.

τῷ δεξιῷ hoc est, in tenebris saltare, verumq̄ esse, quod summus in omni scientiarum genere artifex Aristoteles, ex Mathematicorum disciplina tradit alibi, index sui, & obliqui, rectū esse, obliquum tantum sui, neq̄ mirandum magnoperè sit, cur Timotheus ille Musicus, duplicem ab ijs, qui malè didicissent, mercedem exigere solitus fuerit. Sed à diuerticulo ad fabulā. Si quæcunque ab hominibus fiunt (ut ait Arnobius) maximeq̄ in re sacra, debent habere suas causas, nec sine ratione est quicquam in negocijs omnibus, atq̄ in omni administratione faciendum, quid te ad hanc curam, & sollicitudinem, causa impulerit, operæ preciiū est animadvertere. Et sanè, quā securè hoc ævum traducamus, quam dissoluti mores, & corrupta sit omnis disciplina, animus meminisse horret. In hoc religionis discidio, an religio abjurare eam cuiquam est? contemptim, & non, nisi dicis causa, de DEO sentire, loqui, prudentia: propudiosa ignavia, mollitie, & silentio non ferendo, veritatem cœlestem, cuius asserenda gratia, tam

Causæ susceptæ reformationis Ecclesiæ, Politicæ & Aulæ.

*multi, cis paucas tempestates, contra omnes Tyrannorum minas, atq̄ interdīta formidinum, animosius obnisi sunt, & adversus presentissimos mortis terrores, invicta perstiterūt constantia, prodere, ludus nunc est. Quid latrocinijis hactenus sit effectum istis, effrenis illa licētia, audacia praerupta, vastationes, direptiones, incendia, caedes, (quorum utinam tandem pausam, ut cum Lucretio dicam, videre liceat) velut Mercuriales quaedam statuae indicant, & res ipsa loquitur. Infelicē vel hoc solo nomine etatem hanc, & in perniciem, cum publicam, tum privatam, incredibili pectoris obstinatione, pronam, quae usq̄ adeo DEI contemptu & impietate infecta est, ut quo quisque instabilior & irreligiosior est, hoc gratior sit, quod excussa omni pietate, religione nulla, revulsis pudoris, & reverentiae repagulis, impeditur, quo minus, quod libet, liceat. Sed quid mirum, eos tam protervè loqui, tam flagitiosè vivere, nihilq̄ libidinis, fraudis, & sceleris reliquum facere, qui nullum esse DEVM jam pridem,*

*qui*

qui humana curet, & de tot flagitijs pœnas aliquando expetat, sibi persuaserunt? Mihi in has cogitationes incumbenti, & in hanc mundi scenam liberius evaganti, nec non ex aliorum non tam eventis, quam eorundem causis, consilium capienti, eandem Germania nostra faciem, quæ olim sub Macedonum Regibus, Philippo & Alexandro & in antea fuit, mihi videre videor. Quemadmodum enim Reip. forma perturbata erat, Thebanis istic infesti Platæenses, Athenis Thebani & Corinthij, in visi Lacedæmonijs Athenienses, Lacedæmones Phocensibus, Phocenses Boeotijs adversi, in summa, civilium bellorum, emulationum, odiorum, plena omnia, bella pro oraculo Delphico primū, cuius Thucydides & Aristoteles meminerunt, alterum item (utrumq; sacrum dictum) cuius Pausanias mentionem facit, eiusdem juris tuendi gratia, gesta, magnus Sycophantarum, Sophistarum proventus, mira bonorum Oratorum paucitas, hi loco nullo, illi, quorum splendor in vulgus tantum etiam in precio, in virtutis &

Eandem nūc  
Germaniæ,  
quæ olim,  
Geæciæ,  
faciem esse.

sapientia locum simulatio, & calliditas subie-  
 rant, & qui malum hoc à Græcorum cervici-  
 bus depellere debebant,  $\mu\omicron\lambda\iota\sigma\mu\alpha\sigma\iota\ \tau\omicron\lambda\epsilon\mu\epsilon\iota\mu$ , id est, de-  
 cretis & Senatusconsultis tantum belligerari  
 Athenienses, facetè dixit Demosthenes, ut au-  
 ctor est Isocrates ille, Platonis & Ciceronis te-  
 stimonio, & elogio clarissimus Orator, magna  
 apud Græcos auctoritatis, & fama, & quo mi-  
 nus remp. & communem, cōtra vim injustam,  
 & tyrannidem Barbarorū tutarentur, & cu-  
 rarent, fœdera, cum Persarum Rege inita, cau-  
 sarētur civitates, & Principes: ita in mutuam  
 pernitiem jampridem, contra Remp. erectis sta-  
 mus hastis, odijs, alij in alios, exardescimus im-  
 placabilibus, irarum quadrigis ferimur, bella  
 sacra gerimus, causamur, tergiversamur, cir-  
 cumhiscimus, & ut uno dicam verbo, eandem  
 in Germania fabulam agimus, ut inam etiam  
 non eisdem tandem eventis, quod de Athenien-  
 sibus, & Lacedæmonijs idem ille affirmat, ni-  
 mirum, quemadmodum qui ijsdem libidinibus,  
 eodemq; morbo cōstricti tenebantur, eadem ag-  
 gresse,

gressa, & paribus delictis involuta, simili tandem ruina prostrata conciderint, implicemur improvidi.

Quippe ubi fas versus, atq; nefas, tot bella per orbem,

Tam multa scelerum facies, non ullus aratro  
Dignus honos, squallent abductis arva colonis,  
Et curva rigidum falces conflantur in enses,

Miramur hanc adamat & Patria, & vicinarum provinciarum vastitatem, parentes liberis, fratres fratribus, qua in pace chara, & sancta sunt, civilibus discordijs infensa, perturbata, Ecclesiam collapsam, plebem perditam, nobilitatem attritam, & penè extinctam. Nos justum Iehova iudicium, nos impietas volentes, nolentes, in discordiam egere, alij impium animum palàm gerunt, & sacrilega audacia grassantur, alij, quos ire obviam nato, & nascenti malo decebat, aliud agendo, connivendo, dissimulando, utinam non etiam frigidam suffundendo, tantam pestem alunt. Undè non immerito eadem pœna intricamur, & involvimur

Vbi eadem  
scelera, eadè  
ibidem ex-  
pectandæ  
pœnæ.

omnes,

omnes, neque unquam securus ille numinis contemptus, & horrendum impietatis crimen, DEI manum, & vindictam cœlestem, non quadrigas si inscendat Iovis, (ut cum Plauto dicā) effugiet. Præter multiplices (ait Tacitus) rerum humanarum casus, cœlo, terraq; prodigia, & fulminum monitus, & futurorum præfagia, læta, tristia, ambigua, manifesta: nec enim unquam atrocioribus pop. Romani cladibus, magisq; iustis judicijs comprobatum est, non esse cura DEIS securitatem nostram, esse ultionem, quis enim læsos impune putaret esse DEOS, & delibata numina: videbas generose Domine, non tantum pietati bellum indictum: sed & excursoribus, & emissarijs istis, Balaami Sacerdotibus, Romanae Ecclesiae Triarijs, & ex impura illius bestiae ore prodeuntibus, veritati obstreperis, raris, impietati thronum in vicinia erigi, eam bibliothecarum poni in arcanis, statuis munerari, & æternitati, quadam immortalium testificatione titularum, ut ait Arnobius, quantum in ipsis est, donari, pro ea, tanquam

Ab adverfa  
riorum itu  
dij.

quam pro aris & focis digladiari, Tyriaq; malorum maria effundi: quam pauci inter hæc ruderæ, & versos Imperij fasces, meminerint se esse Principes, νομοφύλακας legum diuinarū, Iehouæ ministros, & scelerum vindices, Joann. 19. Rom. 13. qui patrios fontes Harpyias pellerè regno, & heu nimium affecta, & afflictæ Ecclesiæ, & Reip. opitulari satagant: delitiari interea insipidum hoc, & insicetum seclum, successibus subinde novis augere, & insolescere, tropæa erigere, nulloq; non impietatis genere diffluere. Hoc Augiæ stabulum, & malorum horum recordatio, tibi manum injecerunt, & lacinia retinuerunt, ut de tua, tuorumq; salute, & a verruncando justis Iehouæ flagello, tam maturas susceperis cogitationes, inq; alia omnia discedens, palma Idumææ instar, inter hos lituos, & in medio religiosi huius belli furore, tanto cum periculo, & molestia, de religione, de pietate, de literis, sis sollicitus. Hercules ille Alexicacus, monstrorum domitor, quemq; animi monstra philosophica clava perdomuisse, in Floridis insinuat

E

Apu-

Apuleius, unde & Socraticum à Cynicis cognominatum, Varronis indicat satyra, cum de vita genere cōstituendo deliberaret, in vastam solitudinem, ut est apud Prodicū, Xenophontem, & Ciceronem, egressus dicitur, ibiq; cum diu, multumq;, de ineundo certo vita genere addubitasset, duæ illi apparuerūt Deæ, quarum una inculta, viam arduam, laboris & molestia plenam, virtutis nimirum: altera, ut erat illice forma, planam, facilem, expeditam, & voluptatibus refertam ostendebat. Hercules Deorum genere satius, in hoc certamine, sprete voluptate, virtutis viam est ingressus. Tu non cum Hercule, cuius ob diversa vita genera, aliquid apud Superos, aliquid apud Inferos statuunt Græci, sed cum Propheta Davide, in sanctuarium Iehovæ, Psal. 73. ingressus, non firmata demum, & adulta primum ætate, verū simulatq; per ætatem licuit, & imperare cœpisti, non virtutis tantum, sed & quæ virtutum omnium mater est, pietatis, & salutis viam ingressus es. Tu illū tibi proculdubio ob oculos statuisti diem  
 quo

quo post huius vitæ spacium, iudici, & Censori  
 omnium nostrorum operum, consiliorū, studio- <sup>A necessi-  
 tate.</sup>  
 rum, actionum, quid dico? cogitationum, CHRIS-  
 TŌ, DEI filio, & eius corā tribunali, tanquam  
 certissimo obligati vadi monio, quod nemo fru-  
 strari queat, sistemur, & administrationis ra-  
 tio reddenda erit, omnemq; movisti lapidem,  
 ut DEO, à quo omnia terrena, cunctaq; cælestia  
 animantur, motuq; irrigantur vitali, apud te,  
 & tuos, facta, tecta constet gloria, & honor illi-  
 batus: ut loca, ab hostibus occupata, non porcel-  
 lis, ovo, sulphure, sed divina gratia hostijs ex-  
 piarum: sacra, ac inde evocata numina revoca-  
 res, resecrarum: ut religio, quā per inexhaustum  
 illum misericordiam divinam, per mille sese genera-  
 tiones extendentem fontem, accepisti reformatam,  
 magis, magisq; (si quidem, ut prudentia, sic  
 etiam pietati, quæ virtutis & honestatis instar  
 pomæria nescit, sua quædam infantia est, nihilq;  
 simul nasci, & perfici, sed absolvi, & quasi ad  
 fastigium per duci progrediendo soleat) ad divi-  
 ni verbi amussim instauraretur, & per purga-  
 retur:

Ab Exem-  
plis.Procatale-  
psis per <sup>virtu-</sup>  
tutem.

retur: laudatissimorum Regum, & Principum  
in Israël, Juda, Babylone, Aegypto, Imperio Ro-  
mano, Moysis, Samuelis, Davidis, Jeremia, Io-  
saphati, Manassis, Josia, Constantini, Theodo-  
sij, Caroli Magni, Darij, & Zechia, cui Spiritus  
sanctus hoc, 2. Reg. cap. 18. tribuit, quod post eum  
non fuerit similis ei, de cunctis Regibus, & nec  
in his, qui ante eum fuerunt, horum (inquam)  
Regum, & Principum exemplo, & vestigijs in-  
sistens, nullis pepercisti sumptibus, laboribus, &  
quando Regium, ut ait ille, nec non hoc fatale  
CHRISTI servus est, ut benè agendo, malè au-  
diant, nulla subterfugisti pericula, infamiam,  
& invidiam nullam declinasti. Sciebas non de-  
futuros Simeios & Alcimos, qui insidijs, & ca-  
lumnijs DEI populum gravissimis oppugnarent,  
& qui inestimabile illud DEI donum, Euange-  
lium, non tanti & dicerent & facerent, ut di-  
gnum judicarent, cuius gratia odium, invidiã,  
& infamiam incurreres. Verum, quid sui cum  
amaracino? & ut non omnes insaniunt, qui  
Phrygiam inaudiunt tibiam, sed hi duntaxat,  
quos

quos Rhea corripuit, (ut est apud Demosthe-  
nem) ita Euangelij voce non moventur, nisi qui-  
bus potentia ad salutem, odor ad vitam est. Et  
gravissimè alibi Pindarus, ὅσα δὲ μὴ περὶ ληκὴ Ζῆυς,  
ἀτύχοντα βοᾶν πικρῶν αἰώνων, id est, quacunq; nō amat  
Juppiter, vocem avertantur Pieridū. Neq; mi-  
hi tempero, quin quod de se cōmemorat, cuius nō  
postrema in Ecclesia CHRISTI est auctōritas, hic  
apponam. Hanc legem (inquit ille) pijs omnibus  
fert Spiritus sanctus. Credidi, propterea lo-  
quar. Cum nuper à bonis viris narratum esset,  
cornutum quendam ex fœtido Papalium Epi-  
scoporū grege caprum, qui medius jam pridem  
inter cælum & inferos volitat, ita solere loqui:  
Nullam sibi videri causam, cur fucatam mo-  
derationis formulā amplecti recusaremus: re-  
spondi, quod de Alexandro Historici referunt:  
Me, si essem eius loco, non recusaturum, illum  
verò, si mihi esset similis, idem facturum, quod  
me nunc facere miretur, &c. Ut non curan-  
dum magnoperè sit, si cui, cum Atea Scytharum  
Rege, equestris hinnitus, Ismenia tibijs, &

*Musica videatur jucundior. Et profectò eiusmodi homines, qui veritatem abnegando tot annos exercitati sunt, simplicitatem bonorum probro vertere, non novum, cum subsannare DEVM ipsum non dubitent. Tibi saniore Rhea correpto non tanti cornutorum, non imperitorum, nō impiorum invidia, non pericula, omnibus ingenuè CHRISTVM sequentibus proposita, non infamia fuerunt, ut vel tantillum ab ea doctrina, in qua & DEI gloria, & totius mundi salus continetur, deflecteres, majoremq; fama propria, quam DEI gloria rationem haberes, iniquissimum ratus, & servile, quod Græci dicunt πρὸς ἄλλοις ζῆν, id est, ad arbitrium vivere alterius, à perversis ac temerarijs aliorum opinionibus, & præjudicijs pendere potius, quam in CHRISTVM respicere, unicum cæli, terraque Judicem, adeoq; in Angelos, & sanctos omnes, qui eius sententiæ subscribunt, beatam illam immortalitatem nobis promissam, & in cælis repositam, cælo, solo, solo, firmiorem, mūdo, & caduca huic vitæ à te posthaberi. Hac est illa non Lu-*

*ciani*

*ciani, non Seleucidarum, sed gentilitia familia  
tua nota & symbolum, sacra anchora, tutum  
ad se confugientibus asylū prestans, retinacu-  
lis fidei, spei, charitatis firmissimis adhaerescens.*

Comitum  
Tecklenbur-  
gicorum no-  
ta & insigne  
ancora.

*Quam ob rem laboranti Ecclesia, ultrò te ad-  
jungere socium, quàm nimium tibi à purpuratis  
istis, à quibus, ut piscibus Hyrcanis, si res ipsa  
non Critolai, sed divina providentia libra ap-  
pendatur, & perpendatur, nec boni quicquam  
expectaveris, nec mali, cavendo, privatè què  
tranquillitati consulendo, sortem appetere ma-  
luiti, à filijs DEI segregatam. Pastores & mi-  
nistros Verbi divini delegisti viros probatos,  
in hoc segregatos, prudentes, & (quod caput  
est) pios, & fideles, qui domi, qui foris qui pa-  
lām in proscenio, & post sipariū (ut Plauti ver-  
buntur) in CHRISTI Archipastoris nostri con-  
spectu se non versari, non meminerint, qui <sup>in dange</sup>  
<sup>ra dicitur</sup>, id est, depositum illud praeclarum, summa  
vigilantia per Spiritum sanctum, 2. Timoth. 1.  
custodiant, quorum iudicium, & praedictum,  
uti ad purissimum illum verbi DEI fontem, ceu*

I.  
Ecclesiae re-  
formatae,  
&  
Pastorum  
deligendo-  
rum ratio.

*Lydium*

Lydium lapidem exactum, & exploratum est:  
 ita ex eodem, illiq; uni, ad fidei, & charitatis  
 analogiam respondentibus, cum veterum, tum  
 recentiorum Symbolis, Synodis, & cōmentarijs  
 tantū sapere, sermonem veritatis rectè secare,  
 ὁρθομένῃ, ut Paulus loquitur, didicerint, vita,  
 moribus integros, sermone modestos, διακτικὸς, ἢ  
 ἐλευθέρους, cōtentiosos, præfractos, εὐχρηστὰς μᾶλλον ἢ  
 ἀδελφούς, id est, voluptatum amantes potius quam  
 DEI. Nanq; ut exterorum Ecclesie hostium,  
 & scelestæ illius, impietatum omnium, farragi-  
 nis, quæ totam DEI gloriam, unà cum CHRISTI  
 gratia, & hominum salute pessundat, velut  
 Megarensium, hic nulla habeatur ratio, quàm  
 sæpè, quantoq; cum dolore de intestino & infeli-  
 ci illo Ecclesie dissidio, & schismate, quod Theo-  
 logi nonnulli paratragediantes, & fecère pri-  
 mum, atq; alunt etiamnum, sermonem injeci-  
 sti? qui divini Verbi semen, non aliter, quam  
 ocymum, & cuminum, hoc est, convitijs & im-  
 precationibus satum, latius provenire arbitra-  
 rentur, quiq; clamoribus suis stentoreis, Euan-  
 gelij

gelij sacri cursum, non, velut in tempestate Echinus, remorarentur tantum, sed & praeirent prorsus, degeneres animi, & ut cum Hieronymo dicam, Calpurnij Lanani, qui Principum suorum patientia tam vecordi audacia illuderent, à quibus ut pacem: (quod de Atheniensibus affirmat Aristophanes:) ita pietatē omnem furcis ejectam, jure conquerimur, apud quos non dimidium, quod Athenis, sed totum, quod Alexandria pro verbis dicimus licuisse, impune est, & haud plus in sylvis audaciam, quam in scriptis & concionibus (in quibus solida pietatis, & charitatis Christianae, nec vola nec vestigium) valere impudētiam, fovem lapidem jurare ausim, quorum <sup>αἰεὶ ὠδύνη δαίμων</sup> id est, verbo, nō ferendo modo, mordere, calamoboandi, calumniandi consuetudinem, agendi modum, & <sup>καὶ λόγῳ κέρως</sup> id est, verborum virulentiam, aeterno ma velim sopire silentio, quam pluribus hic traducere. Tu cum in omnibus alijs vitæ officijs, tum in constituendis religionibus, atque in Dijs immortalibus animadvertendis (id quod ve-

De domesticis & dominatoribus fidei, novisq; Eurychianis.

teribus Romanis tribuit A. Gellius) castissimus, & cautissimus non modo, sed & veræ religionis restauranda, perpurganda, & propaganda indefesso studio, & invicta animi fortitudine incumbis. Chrysippum, cuius antè meminimus, adolescentes monere solitum accepimus, ut primùm Logicem, deinde Philosophiam moralem, postea naturalem, postremò de Dijs sermonem instituerent. Tibi non ignaro, quod ait ille, multa de Dijs apud Græcos, non omnia tamen rectè dici, ordo ille adolefcētibus præscriptus omninò displicet, omniaq; religioni postponenda, semper cum optimis iudicasti, etiam in quibus summa dignitatis decus conspicitur. Et non tantum pueritiam & adolescentiam DEO consecrandam: verum in omnibus vitæ negocijs, & actionibus exordium rectissimè à DEO (ex quo, per quæ, & in quo sunt omnia Rom. II.) sumi, ingenui Isræelis fontes, & ex his Philosophorum, Poëtarum deducti rivuli, ut supernumerarij testes ostendunt. Sed quid soli lucē scæneremus? & ut Horatius ait, fumum ex fulgore?

επερωδ. 20018.

Hoc

Hoc curanda & procuranda religionis votum  
 & studium <sup>ἡ δὲ ἐκ τῆς γενέσεως</sup>, id est, heri & hodie abs  
 te susceptum, verum à Majoribus tuis nuncu-  
 patum, per manus traditum, quamprimum,  
 anni si verunt, consignatum est. Non sunt oc-  
 cultata, ait Spiritus sanctus, Psal. 78. à filiis eo-  
 rum in generatione altera. & in libro legis: Do-  
 cete filios, vestros ut illa meditētur, narrabunt- Deut. 6. 11.  
 que ut ille ait Natis natorum, & qui nascentur  
 ab ipsis. Quis nescit? sed & si quem tempora ju- A maiorum  
virtute &  
exemplo.  
 vet evolvere, & fastos, referunt Annales, u-  
 trumq; Avum tuū (nec enim te per lōga exorsa  
 tenebo, & ab ovo rem hic par est repetere) Pa-  
 ternum, Arnoldum Benthemia, & Steinfor-  
 dia, Maternum, Conradum Tecklenburgi Co-  
 mites, immortalitate dignos Heroas, quid non  
 pro asserenda, & vindicanda DEI gloria, per-  
 pessos? quos CHRISTI, & Evangelij adeò non  
 puduit, ut non dubitarint, pro eius defensione,  
 magnis, varijsq; periculis, laboribus, & mole-  
 stijs, capita sua obijcere, & coram universo  
 mundo, quanti DEVM, quanti pietatem face-  
 rent,

rent, non levi cum provinciarum, & subdito-  
 rum jaectura testari. O praclara, & coram ipsis  
 caelestibus Angelis insignia fidei, & veri Zeli  
 tropaea. Nihil hic auribus tuis dabo, infra tua  
 tuorumq; merita subsistam, & conticescam,  
 maluerimq; veris offendere, quam palpum ob-  
 trudeo placere. Scio, quam non feras *αὐτοκρατορίας*,  
 Invidiae de- *αὐτοκρατορίας*  
 clinatio à cō-  
 paratis, ab  
 autoritate, &  
 per *αὐτοκρατορίας*  
*εἶναι*.  
 acroamata, aetologias, & laudationes istas,  
 minus, quā Alexander ille Severus, vel etiam  
 Pescennius Niger, quorum hic, Poëta Panegy-  
 ricum sibi recitanti, Scribe (inquit) laudes Ma-  
 rij, Hannibalis, vel alterius Ducis optimi, vita  
 functi, & dic quid ille fecerit, ut eum nos imi-  
 temur. Cuius exemplum, & festo utique plausu  
 excipiendam vocem hanc, ita sequebatur Ale-  
 xander, ut praesens se à quoquā laudari non sus-  
 tineret. Sed benè habet, quod non tam tuas  
 (quāquam & tuas) decantemus laudes, quam  
 Jehovae bonitatem, & misericordiam haud in-  
 gratijs, in his omnibus, agnoscimus, & predi-  
 camus, teq; quantum in nobis, ab invidia, qua  
 iniquè premeris, & infamia, (si tamen infamia  
 est,

est, quae cum DEI gloria conjungitur) qua citra Επαυόε, Δωός  
sive corre  
ctio. noxam gravaris, liberamus: quo modo Periclem, Epaminundam, Themistoclem, Cicero- nem, adversus calumniatores ingratos, & improbos, publicè, de laudibus sibi proprijs, cū laude dixisse Plutarchus auctor est, cuius castissimi Philosophi auctoritas, nescio, quā major apud me fuerit, quam tanta, tantorum Principum modestia, ne dicam, hoc quod agimus, ad exhortationem, & imitationem sic comparatum esse, quemadmodum Nestor ille Homericus, de se dicens, Patroclum, novemq; alios, ad singulare certamen cum Hectore incitasse, Aristoteles Alexandrum suum, ad magnanimitatem inflammasse legitur, dum, non tantum multorum hominum Imperatori dicat, licere excelsum gerere animum, verum ijs etiam, qui veras habent de Dijs opiniones, & c. Sed ne feramur II.  
Reformatio  
Politiae. Si  
ne ea frustra  
emendari Ec-  
clesiam, πάλω, id est, extra cantilenam & extra chorum saltemus, quod huic proximum est, adeoq; ut pietati, (cuius nomen gravissimum & sanctissimū est Ciceroni ipsi) suus in hac vita fructus,

Maiorem ta-  
men & prio-  
rem Ecclesiæ  
rationem  
habendam.

*sua promissio constet, prudenter animadverti-  
sti, nullam vitæ communitatem, & societatem,  
ex qua Ecclesia colligitur incolumem esse, aut  
durare, nisi iusta sit, posse, in id excubas, eo omnis  
tua cogitandi & agendi solertia refertur, hoc  
agis, & operam das, ut Politia, sive status Reip.  
tum propter Ecclesiam, cuius incolumitas ab il-  
lo sequestrari nequit, tum propter ipsam huma-  
nam, & civilem societatem, incorrupta judi-  
ciorum administratione, & honesta disciplina  
custodia, in tranquillo sit. Quemadmodum enim  
Castoris faces & Pollucis, si solitaria appareant,  
dirum est ostentum, & non sat liquidam augurium, sin-  
gemina & junctæ, Διόουρησι Σωτήρες salutare, ita Ec-  
clesiæ pacem, & Halcyonia, tranquillitate, &  
honesti disciplina rerum publicarum, velut in-  
tra penetralia Vesta contineri, eamque sub um-  
bra Magistratus nidulari, è verbo DOMINI  
Jerem. 29. satis acceptum habemus. Turbata  
verò civilis ordinis harmonia, fieri in Rep. dis-  
tractiones, studia sacra adobrui, deserui scholas,  
& templa, labefactari disciplinam, & succe-  
dente,*

dente, tacitis incrementis, rebellionem, morumque  
 asperitate, infinitam sequi licentiam, qua, jux-  
 ta Comicum, omnes sumus deteriores, & bar-  
 bariem, & per momenta, per puncta, (ut loqui-  
 tur Arnobius) examina maleficiorum, nova  
 noxiorum improbitate succrescere, necessum est.  
 Ut appositissime illi, qui cœlestis doctrina lucem  
 ardenti ellychnio, civilem disciplinã, & Remp.  
 benè constitutam, munit & laterna, qua lumen  
 illud, ab injurijs ventorum, & tempestatum,  
 murmure, & offerumentis (ut Festi verbo uta-  
 mur) defendatur, <sup>πρὸς ἀλλήλους</sup> compararunt. Qua  
 de caussa solemnes etiam Ecclesia preces, ad Ie-  
 hovam, quibus Magistratum divinitus ad se,  
 & politias defendendum, armari, & roborari  
 petit, quotidie non immeritò concipit. Dion si-  
 ve ille Cassius, cognomento Cocceius, in libris  
 de Principe, si ve Chrysostomus ille Rhetor præ-  
 stantissimus, hæc Regi suo præcepta dat, & præ-  
 scribit: primum, ut DEOS colat, secundum, ut  
 homines curet, & amet, si redamari velit, ter-  
 tium, ut labori se dedat, & voluptates spernat.

Tria

Tria item Diotimus imperanti inesse oportere  
 dixit. Religionem, ad se tuendum, Iudicium, ad  
 suos continendos, & exercitum, ad hostes pro-  
 pulsandos, neque desunt nobiles Triarii, & amici  
 ferentarii, quorum hic aduocationibus uti pos-  
 semus, nisi essent (ut ait Lucianus) omnia pul-  
 vis idem. Tu generose Domine, cum hominis  
 bonum, quod non leuiter curandum nobis ne-  
 cessitate quadam impositum est, aut publicum,  
 ut supra dixi, sit, aut privatam: publicum ve-  
 rò in tribus Ordinibus, quibus tota huius vita  
 continetur communitas, vertatur, videlicet,  
 in procuratione salutis Ecclesie, Reipublice, &  
 Oeconomiarum: privatam in prohibendis  
 injurijs, & promovendis singulorum utilitati-  
 bus consistat: tu quanquam ex aquo omnibus  
 prodesse, & secundum proportionem Geome-  
 trie, cui DEVM ipsum intendere operamque dare  
 Plato astruit, commodare satagas: de Ecclesia  
 tamen & Reip. statu eo sollicitiorem curam ge-  
 ris, quò maiorem illa inclinationem hisce tem-  
 poribus minari videntur, præclarissimi Impe-  
 ratoris

ratoris Theodosij exemplo, quem jam jam ad  
 tibicines missurum, & morti vicinum, publica  
 ecclesiarum, & politiarum negotia, privatis  
 anxium magis habuisse ferunt, quod utinam  
 tecum imitarentur illi, propter quos pijs omni-  
 bus sorbillo victitandum, quibus ecclesiam in-  
 ternecione delere, Reip. pacem (qua Ecclesia, ut  
 sinistra dextra, opus esse verè dixit Basilius  
 Magnus) turbare, quietos bello (quod, ut Ar-  
 chidamus ait, τεταγμένα μη ζῆται, id est, ordinata nõ  
 querit) laceessere, sursum vorsum omnia misce-  
 re, religio, adeoq; DEVM Principem rerum cun-  
 ctarum, quacunque sunt dominum, summita-  
 tem omnium summorũ, ut Arnobius loquitur,  
 obtinentem, resectis unguibus, in fidelium cœtu  
 adorare, obsequio venerabili invocare, in rebus  
 fessis, totis sensibus amplexari, amare, suspice-  
 re, jampridem heresin sapere, & piaculum esse  
 cœpit majoribus expiãdum hostijs. Tu, ut quie-  
 tam sub te, & tranquillam vitam, omni cum  
 pietate, & honestate degere possimus, omni co-  
 gitatione & quod dicimus, ἐκ ταπεινῶν, id est, pro

viribus excubas, ut justis patriæ consilijs, certa  
 vivendi disciplina, pares cum infimis, majores  
 cum minoribus, sine querela conjungantur. Te-  
 nuiores adeo non invident opulentioribus, ut  
 non minus de ijs, quam proprijs solliciti sint, exi-  
 stimantes opes suas, ab illorum felicitate pendē-  
 re, in eadem se cum illis navi esse, & in commu-  
 ni patriæ vivere: Locupletiores, & quibus cir-  
 cum humeros hyacinthina lana est (quādoqui-  
 dē ex sententia Bionis, non minus calvis, quā  
 comatis pilos velli molestum est,) adeo non de-  
 spiciant tenuiores, ut existiment illorū inopiam  
 sibi dedecori, eorumq; necessitatibus, quod de  
 Atheniensibus affirmat ille, agros mediocri pe-  
 cunia elocādo, alijsq; alia, unde se tolerant, sub-  
 ministrando, subveniant, equalitate tamen ju-  
 stitia, quam commutativam in scholis dicimus,  
 utrimq; servata, & pari juris distributione, cō-  
 digna virtuti premia tribuendo, scelusq;, &  
 fraudem meritis supplicijs constringendo, qui-  
 bus virtutum elementis duobus (præmio & pœ-  
 na dico) rectissimè dixit constare Remp. Solon.

Hæc

Hæc est virtus illa Σωτῆρῆς, id est, conservatrix  
urbis, quæ utramq; paginam facit. Quemad-  
modum namq; non æquum est (ut aiebat Mithri-  
dates ille, Ponti Rex, quæ cum Romani ad an-  
nos quadraginta bella gesserunt) virtutem à fe-  
licitate destitutam aspicere, & magna, ô Socra-  
tes, ait in Oeconomico Xenophon, imminet bo-  
nis desperatio, cum ab ignavis se præmijs discre-  
tos non aspiciunt, & c. ita è Rep. esse, delicta pu-  
niri, illisq; Leuctrica monimenta statui, neq; fa-  
cile pœnam, (nec severitatis, nec clementiæ af-  
fectata gloria, ut loquitur Iureconsultus Mar-  
cianus) remitti, Diocletianus & Maximi-  
nianus Imperatores rescripserunt. Tibique  
hic Iustitiæ amor, non Dionis, non Diotimi, sed  
ancipiti quovis ferro penetrabilioris illius ver-  
bi vi, & efficacia hæsit, nimirum: *Quærite  
judicium, subvenite oppresso, defendite vi-  
duam. Es. I. Hæc dicit DOMINVS DEVS exer-  
citus, Judicium verum judicate, Zach. 7.*  
sine quo veteres principatum ne Iovem, qui-  
dem ipsum rectè gerere scripserunt, dixerunt,

docuerunt. Unde in DEI verbo Reges pro Iudicibus, Judices pro Regibus & apud Romanos pro omnibus Magistratibus appellatione promiscua sumi & indigitari videmus, Exod. 21. Psalm. 82. Johann. 10. Et quoniam, quam in te, & nos integritatem prestas, eandem aut certè proximam, te ab Officijs, & ministris, exigere par est, tu Magistratus (quos incorruptissimos esse Plato vult) non censu, non imaginibus, nō annis: sed sapientia, & integritate deligis. Nam si summum id boni Principis studium est, quam optimè de Rep. mereri, nō aliare melius sibi, arctiusq; de vinxerit subditos, quam si curet, ut Magistratus, & officia viris integris, & boni publici studiosissimis quibusq; demandentur. Aristoteles, ex sententia Biantis, siue quod Sophocli visum est, Solonis, <sup>αὐτῶν ἄνδρα δ' εἶναι νοῖ</sup>, inquit, hoc est Magistratus ostendit virum. Tu contrà (quod de se dicebat Epaminundas) Magistratui ostendis virum. Ut qui non plurimo ementi, non improbissimè ambient, non cognatione conjunctiori, non ad mo-

res,

Officialium  
& Admini-  
strorum pu-  
blicorum &  
Iudicum de-  
lectus,

res, affectus, & cupiditates tuas maximè accommodo, eum deferas, sed ad injuncti muneris functionem, & muneribus obeundis aptissimos, adhibito consilio, ad tabulam ponis, hos, velut candidatos Caesaris, petere jubes, qui haud facile, ad alterius arbitrium, & libidinem, maleficia condonent, nec ad flagitia conniveant, quod de Catone Romano Senatore, & morum Censore exactissimo, affirmat Livius, qui litigantes patienter audiant, circumventis consulant, desertis patrocinentur, bonos tueantur, ulciscantur improbos, injurias prohibeant, lites aequabiliter, & moderatè agant, cognoscant, componant, finiant, nihil superbè, & violenter agant, nihil gratiæ, nihil amicitia concedant, qui litium abbreviandarum, non extrahendarum, aequitatis, & in verbo Domini, & in legibus expressæ, quoad eius fieri potest, vel etiam, non expressæ, ad jus naturale tamen, fidei, & charitatis regulam exactæ, studiosi <sup>αὐτὸν προσώπῳ</sup> <sup>ἴστω</sup>, id est, persona susq; deq; habita, justitiam administrent, non lites ex litibus serant, & è li-

tibus (quod Ciceroni Catilinam aliquando ob-  
 jecisse accepimus) messem auream colligant, per  
 fas, nefasq̄, opes congerant, sed qui sententiam,  
 ex aequo & bono, quod L. Quintio Cincinnato  
 tribuunt cum laude Historici, pronuncient, cri-  
 minis, & causse fidem, merita, circumstantias,  
 justo examine explorent prius, quam de reo sta-  
 tuant, quo nomine Sulpitium commendat Dio-  
 nysius Halicarnassens, qui conscientia judiciū,  
 & jurisjurandi religionem laedere metuant, ut  
 Helpidius ille, sub Constantio Imp. de quo Am-  
 mianus Marcellinus, deniq̄ (in quo sunt om-  
 nia) qui DEVM revereantur, veritatem colant,  
 avaritiam oderint, ex consilio Iethronis, sive  
 Raguelis, qui Exodi cap. 18. ad Moysen Socerū,  
 „ Provide (inquit) de omni plebe, viros sapientes,  
 „ & timentes DEVM, in quibus sit veritas, & qui  
 „ oderint avaritiam, ex ijs constitues Tribunos,  
 „ qui judicent populū omni tempore, & c. Exem-  
 plo Davidis, qui Psal. 101. Clementiam & justi-  
 tiam (inquit) cantabo tibi, utramq̄ ut conjun-  
 ctam: ita DEO consecrandam, & accōmodan-  
 dam

dam innuens, aliorumq; praclarissimorū Principum Romanorum: Marci Antonini, Titi Vespaniani, quorum hic delitia, & amor humani generis, dictus est, illum Senatus Romanus (quem Cicero vocat consilium orbis terræ) his acclamationibus profecutus est: Antonine Pie, Dū te seruent: Trajani, Adriani, Taciti, Marci Marcelli, quorum nomina, vel hoc solo nomine Cedro digna, & in illustri loco posita sunt. Quorsum enim attinet, & ut Iustinianus Imp. ait, parum, siue, ut Aristoteles, supervacaneum est, jus esse, nisi sint quorum opera recte reddatur. Neque hoc solum: sed & ipse tuorum controversias, Iethronis, Christianorum, aliorumq; Principum vestigijs insistens, Spartāq; nactam adornans, attentè saepenumero audis, placido arbitrio componis, vel sententia ex aequo & bono diffinis, jurisq; reddendi laborem, vel solus, vel, quando vir unus omnia non videt, ut ait Euripides, aliorum cum consilio suscipis, id quod optimis quibusq; Principibus sollemnne fuisse, & in more positū, testes sunt historia.

Qua

*Qua de caussa veteres, ut refert Callimachus, viros Principes esse in tutela, & procuratione Jovis crediderunt. Hinc est, quod ante Diocletianum, qui supra humanam sortem, & vicem, primus caput attollere ausus est, Imperatores omnes ut Iudices salutarentur. Julius Caesar, Octavius Augustus, summa diligentia, & severissimè jus dicere consueverunt, quorum hic in noctem non unquam, si corpore parum valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam, domi cubans. Sic Claudius, sic Domitianus, sic Fulianus, ad cætera improbi, jus in foro industriè dixerunt. Servius Galba, Trajanus, Adrianus, Antonini duo, Severus Alexander, litigantes attente audierunt. Et sanè quid Principi viro proprium magis? quam ut ex prescripto eius, qui ipsorum caput supereminet, potestatem illam, <sup>severo de p. id est,</sup> cælitus datam, & legibus circumscriptam, utilitatis nulla habitatione explicent. Hinc cum prætereunti fortè Adriano (uti est apud Dionem) occurrisset mulier, seque audiri postulasset, ille verò sibi ocium esse*

esse negasset, illa exclamavit, noli igitur imperare. Ad quam vocem ut Adrianus restitit, & haud gravatim mulierem, veluti ex debito, audivit: sic tu fragrantiore oleo & caromate inunctus, ad Prophetæ concionem: DEVS in medio Deorum stat, & iudicat. Psal. 82. Non hominis exercetis iudiciū: sed DOMINI. 2. Paralip. 19. hoc administranda justitiæ exercitium vicariam Iehovæ operam esse, eundemq; huic non interesse tantum: sed & præesse, suoq; tempore, ut à cæteris mortalibus: ita pariter ab ijs, quos supra eos collocavit, dictorum omnium, & factorum rationem exacturum esse scis, tuorumq; querimonias, non attendita persona pauperis, nec honorato vultu potentis, Levit. 19. vel audis, & cognoscis ipse, vel tui similibus, Davidis nec non Iosaphati Iudææ Regis exemplo committis, quorum hic Hierolymis synedrio, velut dicasterio aliquo, cōstituto, per omnes urbes, & oppida regni sui, lectos delegavit, & ordinavit Iudices, mandavitq; ut fideliter, & integrè exercerent iudicia, in timore DOMINI. Ille, cor

pravum (inquit) recedet à me & malos non  
 admittam, oculi mei tendent ad veraces in  
 terra, ut habitent mecum. Incedentes in via in-  
 tegrā ministrabunt mihi, Psal. 101. Natura sua  
 morbum indicavit Vespasianus, ut est in histo-  
 rijs, cum rapaciſſimum quemq; ad Magistra-  
 tus eveheret, quo locupletiores factos postmo-  
 dum majore emolumento exhauriret, unde  
 suis, se videlicet ijs, ut spongijs uti, ad agionem,  
 & proverbium sustulit. Nimirum hoc volen-  
 tes, tales haberi Principes, quales illi sunt, qui  
 eorum vices gerunt, & quod ait Demosthenes,  
 Oratorum Græcorum facile princeps, cuius  
 commemorato nomine, maxima eloquentia  
 consummatio audientis animo oboritur, ut ait  
 Valerius Maximus, ob quem Athenas ipsas  
 magis atticas fuisse, Ciceroni visum, eleganter  
 & vere inquit, τοῖσδε ἔστιν ἕκαστος οἰκωρεῖ ἠδὲ τὰ συνώμ,  
 id est, talis quisque est, quales sunt quorum de-  
 lectatur consuetudine. Notatus est inconstan-  
 tia & levitatis Tiberius Caesar, quod, uti apud  
 Suetonium est, ignotissimum quemq; ob epotam

in convivio, se propinante, vini amphoram,  
 quaesturae candidatum, nobilissimis anteposuerit.  
 Impietatis insimulatus est Julianus, ille Apo-  
 stata, quod Alexandrum quendam, hominem  
 turbulentum, & saevum, Syriacae jurisdictioni  
 praefecerit, Et cum nonnulli hominem eo mune-  
 ri ineptum dicerent, & indignum, Scio (respon-  
 derit) sed Antiochensibus avaris, & contume-  
 liosis, huiusmodi Iudicem convenire existimo.  
 Alligatus est injustitia Valentinianus Imp.  
 quod apud suspectū litigantes Iudicem, alium-  
 que sibi dari postulantes, hoc non cōcesso, & im-  
 petrato, ad eundem remiserit. Tu non nisi benè  
 cognitos, & probatos ad gubernacula admit-  
 tis, non sese ingerentes, & αὐτομάτως, id est, ultro  
 sese offerentes, semelq; receptos, nō ut Arithme-  
 ticorum digitos habes, quod de Principum ami-  
 cis apud Persarum Regem & Socerum Artaxer-  
 xem affirmavit aliquando Orons ille, & si  
 quidem eodē auctore Demosthene, ὅτι συμβεβλημένοι,  
 καὶ τὰ κείνα πλείοντα πᾶσι ἀρίσκειν ἀδύνατον, id est, Reip.  
 consulentem, & communia obeuntem, omnibus

III.  
Oeconomiae  
reformatæ  
ratio.

placere, impossibile sit, multorumq; odijs, calumnijs, & invidia expositos scis, officium rectè facientes, constantissimè tueris, & ab injurijs defendis. Verum cedamus nunc foro, & Oeconomiae tuae rationem explicemus, forulosq; executiamus domesticos. Plutarchus in symposio septem sapientũ Græciæ, injectum ibidem scribit sermonem, quænam maximè felix foret domus, in eoq; unumquemque, velut symbolum, quid sentiret protulisse, Solonem, Thaletem, & inter ceteros Biantem, eam censuisse optimam, in qua per se Dominus existat talis, qualis est foris ex lege: omniumq; optimè. Praclara sunt quæ profers in publicum: sed non minoræ, quæ limine tenes, neque minus ad gloriam accommodata. Habet hoc magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patiatur, ut inquit in argumento penè simili Plinius: Principum domos nõ modo: sed & intima cubilia, intimosq; recludit secessus, omniaq; arcana noscenda fama proponit, & explicat. Scis DEVM fumis, & fucis offendi, hypocrisi irritari, religionem Domino-

minorum Domino, tam domi, quàm foris, approbandam esse, non ut populo, & scena seruiat, non ut plausum captet, animumq; præstet nihilo meliorem, à DEO, penitissimos cordis recessus intuente, commonstratam. Scis quam noxia, & calumnijs obnoxia, hæc omnia, nisi domestica, nisi interiora respondeant. A Lare itaq; (quod pro verbo dicimus) sumpto initio, nos, quibus Principis nostri æmulatio omni lege validior, quique quamlibet in partem flexibiles, à te ducimur: quis enim non charus, non probatus esse cupiat ei, qui charum, & probatum se reddit omnibus? exemplo præiisti, quod imprimis hoc in se boni habet, quod ea, quæ præcipit, fieri posse, reapse probet, & approbet. Censura namque, Principis vita est, ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, & ut est apud Poëtam: Sic agitur censura, & sic exempla parantur, & apud Lucilium, insectatorem illum vitiorum acerrimum, Latina lingua scientissimum, si Fabio, si Agellio credimus: Præsul ut ampiruat, sic vulgus redantruat ipsum. Rectè alibi, Stoico super-

In omnibus  
ad ultimum  
finem respe-  
ctandum  
esse.

cilio mire gravis auctor Seneca, ubi quid fugiendum, quidve appetendum sit scire velis (inquit,) ad summum bonum, & propositum totius vita respiciendum esse. Tu cum publicè, tum privatim, ad summum illum hominis finem, omnia tua cōsilia, & actiones exigis, sermones, seria, jocos, & juxta Aeschyli sententiam <sup>ἄριστος, δὴ μὲν εἶναι θελεις</sup>, id est, non videri tantum, sed esse optimus allaboras. Videbas Principum nōnullorum aulas, nihil aliud esse, quam aulas corruptam Curiarum, & castrorum disciplinam, domesticorum, summorum, medioximorum, infimorum, mores emendationem flagitare, iudicio verbi DEI regula amussitato, & exasciato animadvertebas, ad quam Ecclesia, & Reip. sive politica statu composito, ne à capite cōputrescat piscis, tuos imprimis, tum etiam tuorum vitam conformasti. Nam, ut praclarè Socrates, ad eorum exemplū, penes quos summa rerum est, ceteros spes est sese comparaturos, ait. Tu non quid vis tibi, & quod libet licere: sed ita demum, si pium, & honestum est, arbitra-

bitraris, non aliter, quam Antigonus Rex ille,  
 qui assertenti, Regibus omnia honesta esse: per  
 Jovem (respondit,) sed barbaris, ἡμῶν δὲ μόνον καλὰ,  
 τὰ καλὰ, καὶ μόνον δίκαια, τὰ δίκαια, id est, nobis vero so-  
 lum honesta, esse honesta, solum justa, justa. Pyr-  
 rhum, Molossorum Regem, Historici exquisitis <sup>Consiliorū,</sup>  
 simis efferunt laudibus, cunctisq; penè Regibus <sup>&</sup>  
 anteponunt, unum tamen ei defuisse non tacent, <sup>Consiliario,</sup>  
 quod parum stabilis, & firmi esset consilij. Neq;  
 de Portio Latrone, Oratore gravi, incredibili-  
 lis memoria viro supprimunt, quod omni in re  
 nimius fuerit. Tu de rebus frugaliter, maturè,  
 sobriè, magna animi moderatione, consultas,  
 & non velut Cantherius in fossa, ut Livius lo-  
 quitur, operæve desultoria, quacunque abs te  
 agenda sunt, sed quod Regi suo idem prescribit  
 Socrates, magno animo, & prestanti aggrede-  
 ris, constanterq; ἀδώς, i, intrepide, καὶ ἀνεπιβουλεύσας,  
 id est, citra periculi metum, auream servans  
 mediocritatem, exequeris. Et si quid fortè abs  
 te decretum, vel rescriptum, quod non bona fide  
 suggestum, non satis animadversum, & ad li-  
 bramen-

bramentum rectum (ut cum Seneca dicam) vel divina voluntatis, legum, & charitatis perpendiculum est excussum, ut saepe in arduo veri est exploratio, & è Cliantis puteo extrahenda, sapius etiam supplicantiū importunitas, nimiaq; petitorum cupiditas, imò nefaria quādoq; crudelium flagitatorum libido, & in expleta, (ut ait Marcellinus) rapacitas, & querela, mendacijs, ut ait Arnobius, interpolat & fallacibus, iniquum extorquent, non hoc voluntatis, imperij, & dignitatis, tanquam rectum, & incōcussum, prae textu tueris, quo modo Principibus nōnullis Maiestatis ius defendēdi, errorumq; strumam, hoc velut dibapho cōtegendi, impensō mehercle mortaliū precio, & damno, moris est, quin potius constantiae laudem, & cum Augustino, prudentiae magna esse censes, de ijs, qua decrevisti, & videris habere devigilare, id est, secundas deliberationes. Stoicum est illud quidem, nunquam sapientem facti sui pœnitere, nec unquam emendare, quod fecerit, nec mutare consilium: sed superbum, nec minus Stoicum, sequi nos, quā ratio, non

Partem conficiat & prudentiae esse male decreta revocare.

tio, non quâ veritas trahit, eoq; ire, quâ ducit  
 veri similitudo. Si quidē enim virtutes omnes  
 in una juxta Theognidem insint justitia, hinc  
 fit, ut constantia, quæ justitia fundamentum  
 est, nisi justa, esse nequeat, & qui è re nata consi-  
 lij, dictorumq; emendationem parum ex Maie-  
 state, & dignitate esse opinetur, quo nomine  
 male audiit Tiberius Cæsar, summè injustus,  
 summè inconstans, & tantum in levitate con-  
 stans sit. Atticam certè sapientissimam olim,  
 & præpotentem Græciæ civitatem, decretum,  
 quod de exscindendis Mitylenensibus, & de  
 aratro, in eorū urbē inducendo, ob defectionem,  
 fecerāt, submissa navī altera, quæ priorem an-  
 teverteret, emendare non puduit. Darium,  
 Adrianum, Antoninos, edicta sua sæpe sustu-  
 lisse, & interpolasse constat. Et ad quid illa Prin-  
 cipū apud Romanos, stante, & declinante Rep.  
 decretorum missiones, relationes ad Senatum,  
 nisi ut hic ea vel abrogaret, vel confirmaret se-  
 natus consulto? Præterea nihil avarè, nihil in-  
 justè, nihil libidinosè, nihil incontinenter, qui

Philosophia fructus sunt, si Cicero, si Philosopho Proteo, ut est apud Gellium, credimus, verum, sine quibus, ut Vitruvius auctor est, nullum opus recte fieri potest, summa cum fide, & castitate, quae avaritia vitiorum omnium metropoli rectissime opponitur & ut Paulus Apostolus ad Tit. cap. 2. inquit, sobriè, justè, piè, rem familiarem administras. Tu non è viventium visceribus, non à mortuis, non ex umbris, aut etiam è singulis tegulis, non ex actionibus, citra necessitatem indictis, devorantibus, ut loquitur Spiritus sanctus, plebem ut panem, sed contractis impendijs, & superfuitatibus vectigal, & parsimonia colligis, frugalitate, non sordibus, de cuius liberalitatis fonte, tam lati diducuntur rivuli.

Privati mo-  
res, exercitia

Exercitijs, si quando animum à curis remittere vacaverit, indulges, non ut ad laborem, & industriam, sive ad fera mœnera militiæ, ut loquitur Lucretius, te, tuosque vegetiores reddas tantum, sed & nihil studij prætermittis, ut quanto alijs animi magnitudine, & dignitate, tanto etiam pietate antecellas. Augustum accepi-  
mus,

mus, ex omnibus utriusque lingua auctoribus, ea tantum, quae ad Remp. pertinerent administrandam, excerpere solitum. Tibi in ocio & negotio, non Reip. modò benè, & laudabiliter, hoc est ex DEI verbo (quod piorũ regula est, Psal 119.) gerenda, quae sanè ars est omnium difficilima, sed & iuvanda Ecclesia, promovenda pietatis, sollicitior cura hac animi proaresi suscepta, manus aratro admota est, ut quantumvis non ignarum, quid ad Troiam Palamedi, aut etiam Socrati apud Athenienses evenerit, nimirum malè fortunatam justitiam, ut est apud Philostratum, addo etiam pietatem videri, spes certa sit, ad corollas nihilominus decertaturum, neque respecturum te, aut etiam quieturum, donec quod DEO auspice cæptum, eodem propitio perficiatur, & felicem sortiatur exitũ. Habet has vices, auctore Plinio, conditio mortalium, ut adversa, ex secundis, secunda, (quae mirè vitijs sunt obtentui, ut humanas oblimat copia mentes) ex adversis noscantur. Occultat utrorumq; semina, DEVS, & plerunq; bonorum,

malorumq<sup>3</sup> caussa, sub diversa specie latent. Tu inter & vi huius crepidines, in quemcunque alterutrum, an utrumq<sup>3</sup> pedem aura incidat, ut cum Catullo dicam, seu fors adversa ingruat, & dura te cōditione premat: si ve lato te dignetur honore, istam animi servas æquabilitatem, *ἰσοειρη*, id est, semper æquè rectè meantem cursum, vultum eundem, eandemq<sup>3</sup> (quod præclarum esse dicit Cicero) frontem: externisq<sup>3</sup> iuxta es ac domesticis, quod de Spartiatis affirmat Philostratus, facilis & beneficus. Ex tanto Romanorum Imperatorum numero, quos Historia imperio factos esse deteriores referunt, Tacitus soli tribuit Vespasiano, quod in melius sit mutatus. Sic nanq<sup>3</sup> res secunda ut ait Q. Curtius valent commutare naturam, raroq<sup>3</sup> quisquam erga bona sua satis cautus est. Et quis de Claudij Neronis quinquennio fando non audivit? quem à pietate imperij exordia fecisse, neq<sup>3</sup> ullam liberalitatis, neq<sup>3</sup> clementia, neque exhibenda comitatis prætermisisse occasionem, & ex Augusti præscripto victurum se, professum esse

scribit

scribit Suetonius. Unde Trajanum dicere solitū ex Sexto aurelio accepimus: Procul distare cunctos Principes à Neronis quinquennio: at eidem imperio efferatiori factō, hoc tribuit Alexander Aegēus eius Praceptor, quod ob truculentiam visus sit esse *παλὸν αἵματι πεφουμένον*, id est, lutum sanguine subactum, & Plinius, quod altera fuerit humani generis fax. Tu (prudenter dixerim) eo quo imperium accepisti animo, non imperare modo pergis: sed & quotidie te melior, magis, magisq; operam das, ut ex malis bonos, ex bonis facias meliores, omnesq; à summo ad infimum pietati adsuefacias. Hæc in aula tua sunt *παρηγορήματα*, in qua vera virtutis, & pietatis plus videre est, quam Cornutorum, & Philosophorum quorundam pulpitis & cathedris. Magnum utiq; in homine copioso, & beato, in eo qui nobilissimis Germania Principibus comparari, plerisq; etiam anteferri possit. Et quoniam non aliter *ὄντε τέλει*, id est, perfecta domus, magnumq; ut ait apud Xenophontem, Socrates, ad viri felicitatem adferat proba cō-

*junx sacrum nomen auctore Fabio, dignitatis, non voluptatis nomen, ut praeclarè sensit Aelius Commodus Verus, benedictio, & corona viri, quinimò, ubicunque res uxoria male habet, ibi dimidiū ex Aristotelis sentētia felicitatis abesse videatur: pleraq; etiam in viro & foemina similia esse ut inquit Columella, & tam malum vitare, quam premium rectè factorum sperare debeant. Non etenim sexu, ut ait Hieronymus, sed animo aestimanda virtutes sunt: Multis dedecori fuit, aut inconsultius assumpta, aut retenta patientius. Tibi uxor nobilissima & illustrissima in decus cedit, & gloriam, quae an virtuti, & pietati, an verò pietas sibi magis ornamento sit ἐπιπέχου καὶ ἀγορεύουσιν, id est, assensum inhibeo. Predicant Poëtae, & Historici, Alcestidis uxoris Admeti Regis Thessaliae pietatem, quod pro marito mori non recusaverit: Amorem Penelopes in Ulyssem, Euadnes in Capaneum, Hypermestrae erga Linū, Laodomia erga Protefilaum, Portiae, Catonis filiae, erga Brutum: Concordiam Cajae Enniae, cum Publico Rubrio,*

Coniux di-  
 vine & hu-  
 manæ do-  
 mus socia.  
 De eius mo-  
 ribus castis-  
 simis & pro-  
 batissimis.

Fau-

*Faustina, cum Antonino Pio: Fidem Cleopatra, & Aspasia, erga Antonium, & Periclem: Constantiam Iulia, erga Pompeium, quæ sanè virtus laudem habet, omnibusq; rebus anteit profecto: pithecium tamen, & spinturnicium præ nautica, murina, & salsugine hac, est amor, fides, constantia, castitas, virtus, pietas Conjugis tuæ, quæ non fructum putat, & commodis vitæ fruendis beatitudinem metitur, quæ non Deum, & Majorum suorum virtute partis divitijs felicitatem suam æstimat, verum istas, ut est apud Plautum magnas factiones, animos, dotes dapsileis, Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram. Nil moratur, sed ibi lam sibi dotem ducit,*

*Pudicitiam, pudorẽ, sedatum Cupidinem, "*

*Deum metum, Parentum amorem, Cognatum concordiam, "*

*Tibi morigerã, munificã probis, & bonis esse. "*  
*Quid illa sanctius? quid antiquius? quid inegenos beneficentius? quàm modica cultu? quam parca comitatu? quàm civilis incessu? quam*  
*navi-*

naviter tecum in easdem cogitationes incum-  
bit, & in commune conspiratur ab utroque? Et  
quando apud Gracos, & mox apud Romanos  
auctore Columella usque in Patrum nostrorum  
memoriam ferè domesticus labor matronalis  
fuit, morem illum veterem Sabinarum, & Ro-  
manarum, ut est antiqua fidei, & probitatis, oc-  
cidere non patitur, in omnibus Oeconomia par-  
tibus maximè diligens & industria. Quàm sci-  
tos tibi peperit liberos? liberos, inquam, com-  
munem vobis felicitatem allaturos, qui quam  
de se jam pridem spem fecerunt omnibus, & ex-  
pectationem sustinent, non adæquent modo: sed  
& vincant, etiam atque etiam à DEO (à quo  
solo liberorū est procreatio, Genes. 1. 4. 16. Ruth.  
4. Psal. 113.) precamur, delicias & ornamenta  
vestra, cur enim minus eos sic vocitem, quàm  
suos Cornelia illa Aemylij Pauli uxor apud Ro-  
manos? ad quam cum mulier quadam Cam-  
pana divertisset, & lapillos, aurum, ceteraq;  
ornamenta muliebria ostentasset, rogasset que  
Corneliam, ut & suorum inspiciendorū copiam  
faceret,

faceret, illa se facturam pollicita, rem extraxit,  
 quoad è ludoliterario filij redirent, quos dein  
 in medium statuens, en (inquit) supellectilem  
 meam, omniaq; ornamenta, & delicias meas.  
 Magnum, quid ni decus prophanae feminae?  
 qua in liberorum spe, omnem suum mundum  
 collocarat: Si quidem igitur prima matri edu-  
 catio incumbat, velis, remisq; cõtendit, ut, quod  
 Chrysippus, Plutarchus, Plato, optimum cen-  
 sent, ab ipso lacte, & uberibus rectè formentur,  
 educentur, sollicitèq; cavet, & cura pervigili,  
 ne indulgentius, quam par est, habeantur, ne  
 quod vel ipsis eorum nutricibus verbum licen-  
 tiosius excidat, ne quid proferatur, quod tenel-  
 los animos offendere, quod corrumpere possit, ut  
 veris jam inde à pueris opinionibus, ac salutari-  
 bus, velut moly herba, quamprimum per aeta-  
 tem licet, adversus Circes veneficia & vulgi  
 vitia & errores imbuantur. Cornelia Gracho-  
 rum, Aurelia Iulij Caesaris, Actia Augusti ma-  
 ter, liberorum suorũ educationibus sic præfue-  
 runt, si historia fides, ut eos ab infantia, velut

Educationis  
ratio.

Reip. Principes formarint: intelligebant nimirum prudentissima fœmina, imperandi rectè sementem à recta institutionis, & educationis satione pendere, fesseq; & adultiori etati solidum jaci in pueritia fundamentum, ut non immeritò dubitet ille, utrum efficacius sit, ad beatè vivendū, benè educari, an feliciter nasci. Nec fefellit eventus, sed & debitum tam claris Nutricibus reposuit *αιθερεπαινον*, illa chara Deum soboles, magnum Iovis incrementum. At quantò majores illustrissima Conjugi tua delicia, gloria, decus: quantò utriq; major felicitas, quod se liberos, non Patria, non Reip. non in hac solum vita vobis ornamento, & solatio, nobis futuros prasidio: sed DEO genuisse, enutrisse, educasse, æternumq; vobiscum victuros, spem habet (ut cum Paulo dicam) *μη καταχύνοντες* id est, non confundentem, tum quod qua ratione DEO, quo pacto Ecclesia, quo modo Reip. sint educandi, qui DEO, qui Ecclesia, qui Reip. & Patria geniti sunt, præ illis magis intelligit, quæ fortitudinem, temperantiam, justitiam non bonorum,

tantum

tantum virorum propriam, quod alibi Isocrates voluit, sed & matronarum esse possessionem vita ostendit, qua ea, quae probanda censet, re ipsa non improbat (quod de Stoicis affirmavit Plutarchus,) sed approbat, moribus castissimis, & fide in DEVM nō simulata, & in qua foeminei decoris sic enitescit principatus, ut Illustriū Comitum de nova Aquila & Limpurg <sup>τέκνον</sup> facile agnoscamus <sup>γνήσιον</sup>, id est, germanam sobolem.

Nunc multa aduersa revertendo, quoniam Principum virorum benevolentiam ambire, & in eorum se insinuare amorem, qui multis sit cum publicè, tum privatim, fructum, & utilitatem allaturus, hominum est (ut ille ait) civilium, humanitate, & honestate praeditorum, non gloria cupidorum, Tu generose Domine, non quosvis, non ubiq<sup>3</sup>, non semper, quod Graeci dicunt, ὅτε πάντα, ὅτε πανταθεν, ὅτε παρὰ πάντων recipis in familiaritatem, & priscum mortalium bonum, amicitiam, sed paucorū hominum es, ut ille ait, & mentis benè sane. Jampridem ex historijs, alieno exemplo, longoq<sup>3</sup> rerum usu animadver-

Amicitum  
& familia-  
rium mo-  
res.

tisti, nihil esse quod Principem magis ducat, & precipitet, quam illa Philij Iovis progenies, & sumivendi, quibus omnia assentari quasius, de quibus Diocletianum conqueri solitum, accepimus, qui Galbam, qui Commodum, qui Bassianum traxerunt in exitium, à quibus regna, & imperia sæpius, quam ab hostibus everti, ait Q. Curtius, in lib. de gestis Alexandri. Queritur (inquit Vopiscus in Areliano) quæ res malos principes faciat? nimia licentia, rerum copia, amici præterea improbi, satellites detestandi, eunuchi, vel stulti, vel detestabiles, & quod negari nõ potest, rerum publicarum ignorantia, &c. Turecti, veriq; amans, an qua ad salutem tuam, tuorumq; faciant, cum multa te fugere, eaq; ferè tantum scire, necessum sit, quæ rerum tuarum Arbitri referunt, quo sint ingenio, bona ne fide, & liberè moneant, an (ut nunc loquimur) tibi se accommodent, quinimò amicus sit, an secus, sagacissimè odoraris. Isocrates ille, cuius ad vocationibus sæpius uti, & juvat, & melli est, quem Cicero singularem alibi vocat

cat Doctorem, privatam Principis viri vitã,  
 orationibus ad Demonicum, & Nicoclem, ut  
 succinctis: ita elegantibus expressit, ubi inter  
 alia, Accuratissimè (inquit) inquirito in mo-  
 res, & ingenia tuorum familiarium, non igna-  
 rus, te talem à tuã vitã ignaris, iudicatum iri,  
 quales illi fuerint, quibuscum vivis. Tales præ-  
 fice rebus illis quas ipse non perficis, quasi tibi  
 adscribendum sit, quicquid illi fecerint. Fideles  
 existima, non qui quicquid dixeris, aut feceris  
 laudant, sed qui etiam errata reprehendant.  
 Hos (inquam) qui causas, & negocia, si qua for-  
 te curam, & auctoritatem tuam desiderant,  
 verè & sincerè referant, candorem,  
 & ingenuitatem animi, & mores à simulatio-  
 ne alienos, quales Capanéo tribuit Euripides,  
 adferant, tibi adsciscis interioris admissionis  
 Aulicos & Scrutatores esse vis, quomodo  
 Menelaum ille apud Pœtã increpat, & Q. Ca-  
 pitolinus populũ Romanũ, ad quem: His ego (in-  
 quit) dictu gratiora esse alia scio, sed me vera pro  
 gratis loqui, et si meũ ingenium nõ moneret, ne-

cessitas cogit. Vellem equidem vobis placere  
 Quirites, sed multò malo vos salvos esse. Hi sunt  
 ut ait ad Hectore Polydamas Augur apud eun-  
 dem Homerum, præcipuè qui possunt esse saluti

” Urbibus, & populis, & rebus sæpe gerendis

” Insuperabilibus, multorum viribus uni.

Eos verò qui eorum quæ geruntur, quæq; scire  
 tua interest, verè nil aperiunt, ut pessima Prin-  
 cipatus & Reip. instrumenta, ut pestem regnis  
 & imperijs perniciosam, cane peius & angue  
 odisti. Contrà, qui liberè monent, in consilium  
 adhibes, quales quondã Cato, Appius Claudius  
 Cincinnatus, ab aratro, si Columella fides, vo-  
 catus ad dictaturam, & alij, qui prisca se veri-  
 tate, τῆ παρρησίᾳ & voce (ut Cicero loquitur) libera,  
 non illa Cynica, importuna & indecora, sed quæ  
 benivolentia erga amicos indicio est, sententias  
 Menenij Agrippæ, Servilij, Pompeij, Casaris, &  
 Pöblicolæ castigarunt. Et sanè cum res vel ad  
 vitæ consuetudinem, vel ad dextrè obeunda ne-  
 gocia, nulla magis jucunda, ne dicam necessa-  
 ria sit, quam sincerus & liber amicus, tutissi-  
 ma se-

ma secundum Isocratem possessio, eò pluris felicitatem hanc Principes viros redimere par est, quo pluribus adobruuntur negocijs. Talis Vlyssi fuit Nestor, Dario Zopyrus, Xerxi Demaratus, Croeso Solon, Alexandro Magno Callisthenes, Dion & Plato Dionysio Siracusano, Neroni Seneca, Bassiano Papinianus, magni inter Jureconsultos nominis. Tales etiam sunt quos tibi fidos, quos sinceros existimas, quibus cum de rebus sacris, prophanis, publicis, privatis, serijs, ludicris, disseris, commentaris & te oblectas quotidie. Et quoniam non hic, ut Cicero inquit, vivitur cum hominibus perfectis, & à bono, & a quo, privatis studijs, & affectionibus facile abducamur, sint q̄ ut corporum: ita etiam animorū vices, inq̄ opiniones ineptas, perniciosas, & noxias imprudentes nonnunquam incidamus: non huius, vel illius, sed probatissimorum, uti opera, & consilio, quemadmodum optimum, ita etiam tutissimū judicas, & verè. Tiberium Casarem, Seianus, quem solum ille Cōsiliarium, & ministrum, in rebus omnibus habuit, è dignitatis

tatis gradu, dejecit, quamvis fuerit ut est apud  
 Hesiodū ἢ δὲ κακὴ βέλῃ τῶ βελῶ ἢ ἄλλοι κακῆ id est, Ma-  
 lum consilium consultori pessimum. Servio Gal-  
 ba, ut est apud Suetonium, tres illi, quorum ar-  
 bitrio vivebat, & regebatur, quibusq; adeo se  
 abutendum praeberat, ut ex illorum sententia  
 pendere, & vix sibi, modo acerbior, modo re-  
 missior, constaret, vitā abrupte. Tu non unum,  
 non hunc, vel illum, ad unguem & ingenium  
 tuum factum, sed ex Homeri consilio, sanum &  
 optimum quenq; non praedicio, sed iudicio se-  
 lectum, si dignus vindice nodus incidat, cōsulis.  
 Quemadmodū enim inter homines potestatem,  
 & imperium valentissimo, & praestantissimo  
 cuiq; natura dedit, uti est apud Polybium, ve-  
 tustimum historiarum auctorem, parendi ne-  
 cessitatem, & gloriam inferioribus: ita sapien-  
 tioribus consilium, & ὡς δὲ λέγει non uni nanq; au-  
 ctoribus Plutarcho eodemq; Homero dat cun-  
 cta DEVS, naturae opifex, verum

Dotibus hos illis, alios his dotibus auget.  
 Hoc nimirum illud est cur DEO, Optimi, Ma-  
 ximi,

ximi, cognomentum, quorum alterum virtutis, alterum potentia est, totius orbis cōsensu inditum. Hoc illud est, quod occultiore involucro Iovis, & Promethei, illius nomine potentiam, huius  $\pi\rho\nu\omicron\iota\alpha\pi$ , id est, providentiam subintelligent Pöeta. Hoc illud est, quod tacitis insinuat natura ambagibus, & quod natura inter se coherere potentiam, & sapientiam, & hanc conjunctionem civitatibus, & Reip. saluti, & per beatam censeat esse, tum quod sapientum congressu sapere Principem, non uno loco asserat princeps ingenij, & doctrinae, Plato. Postremò quoniam, non ad alium quenquam plures, quam Principem virum, deferuntur criminatōnes, & querele, ut nunquam Medio, Alexandri Affectatori similes, desunt, qui audacter calumniandū esse voluit: quantumvis enim vulnus comperta temporis veritate, coalescat, relinquere tamen post se cicatricem: his (inquam) si patienter, aut libenter aurem accommodet, perpetuas intercuras, & formidines velut Cadmo traditus, anxius aget. Tu Epicharmicum illud, Ner-

vos, & artus sapientia esse, meministi, Non temerè credere, neq; praeproperè ad sententiam, decretorium stylum, minus verò ultionem, nisi delato prius audito, festinare. Quinimò hoc sycophantarum genus omne, quod Appium, Commodum, optimi Principis filium, summa Parentis cura educatum, ut ait Lampridius, ad mortē, Claudium ad recordiam egit, similesq; Thurinos, exemplo Augusti Caesaris, uti est apud Suetonium, & Marci Antonini Pij, ut est apud Capitolinū, Trajani, Nerva, Severi, & aliorū, domo, & aula tua exigis. In qua reformanda, non ad Majorum gentium DEOS, & Heroas hosce: sed ad clarissimos illos divini verbi septetriones, cursum vocationis, & cogitationes tuas dirigis, Videlicet: Multitudo sapientū sanitas est orbis terrarum, Sap. 6. Naviter studebo via integra, quādo venies ad me, ambulabo in integritate cordis mei in medio domus meae. Non habitabunt intra domum meam, facientes fraudem: qui loquitur dolos, non stabilietur coram oculis meis. Eat nūc Diogenes ille Cynicus,

&

Et Principum aulas fugiendas esse dicat, ma-  
 litq<sup>3</sup> Athenis vesci siliquis, Et pane secundo, sa-  
 lem lingere, quam cum Cratere rectè, Et pol-  
 lucibiliter vivere, Et imperare. Eat Carneades,  
 qui Regum, divitumq<sup>3</sup> filios, nihil rectè, neq<sup>3</sup> be-  
 nè discere, præterquam equitare, ob magistros  
 illos teneras eorum aures substringentes, dicere  
 solebat. Eant qui aulam molestiarum officinam,  
 Et imposturarum vocitent, Et monstrum spe-  
 ciosum quidem, sed Sirene pellacius, Et execra-  
 bilius. Eat de quo Seneca, qui in cultu Regum  
 consenuerat, Et rogatus, quomodo rarissimam  
 in aula rem cõsecutus esset, scilicet senectutem,  
 Injurias (inquiebat) accipiendo, Et gratias agè-  
 do de iisdem. Exigat imperio Philosophos Lysi-  
 machus, ex Attica Sophocles, non ille Tragoë-  
 diarum scriptor, Romani Epicureos, Messenij  
 urbe Sophistas. Et quis ferat barbato istos, ver-  
 bis Philosophos, barba Et questu, re vera à VOULTÈS.  
 in subsellijs, magis verò, in aula tua? in qua, non  
 voluptatum architecti, non aleatores, combibo-  
 nes, non ij, qui si quid dixeris, sequuntur, Et se-

cundas agunt, non mimi, non curiosi, quorum in  
 Clopidis mens, in Aetolis manus, in pretio, sed  
 boni, & quo quisque melior, hoc Principi suo  
 charior, ubi non prodigalitas, crudelitas, ava-  
 tia, perfidia, non suspitio, & conjectura fallacis-  
 sima irritamenta, ut ait Seneca, non impietas,  
 quae multis exitio fuere, regnant: sed frugalitas,  
 clementia, beneficentia, veritas, & ut uno dicam,  
 pietas obtinet, ubi fraus, impostura, injuria do-  
 li, eiusque generis phelomata, servilia putantur,  
 ubi simplicitas, candor, benigna rerum existi-  
 matio, praevalent, ubi tractabiles divitiae, ubi  
 prudentioribus de his, quae sentiunt, comiter, &  
 liberè loquendi facultas est, ubi nec fatuum, nec  
 Regem nasci, necesse est: denique ubi pater fami-  
 lias (nihil namque à bono patre bonus differt Prin-  
 ceptus) piè, & in casta disciplina, familiam du-  
 cit, & educat, id quod non Platoni, Aristoteli,  
 Xenophonti, Isocrati, aliisque, pulcrum visum  
 tantum: sed & inter summas laudes Apostolis,  
 Regibus, & Prophetis numerat Spiritus san-  
 ctus. Justius ergo te, quàm Agomemnonem suum

Home-

Homerus, dicimus ποιμένα λαῶν, id est, pastorem  
 populorum. Verum egrediamur aula, sexcenta  
 namq̄ sunt, quæ commemorem, si sit ocium, &  
 aures tua ferant. Quemadmodum nostri, Go-  
 thos dico, Vandalos, Suevos: in Italiam & Græ-  
 ciam quondam irruerunt, unaq̄ cum imperio,  
 imperij decus, robur, & dignitatem oppresserūt,  
 & extinxerunt, unde illa tam latè, literis, bonis  
 auctoribus, & bibliothecis data strages, & cu-  
 ius incommoda cum pulvisculo sublata nōdum  
 sunt, illata clades, & ruina: ita, ut sunt rerum  
 humanarum vices, revoluta illa seculorum pe-  
 riodo fatali, alienigenas istos, nostra, religionem  
 dico, simulq̄ cum religione, pietatem, & literas  
 oppugnatum venisse videmas. Huic malo ve-  
 nienti, ut quantum in te, occurreres, & ad re-  
 stinguendum incēdium hoc, tempestivè accur-  
 reres, alieno periculo cautior, & quid Ecclesia  
 pessundata, extinctis literis, futurum sit, Mopso  
 certior, inter has furias, quæ ecclesiā, & Remp.  
 Christianam, exercent, lacerant, fodicant, &  
 excruciant, juvanda Reip. promovenda pieta-

Consiliū ad  
 apertæ no-  
 væ scholæ  
 sine qua nec  
 Ecclesiæ nec  
 Politix satis  
 prospectum,

ti, animum adjecisti, prudenterq; animadver-  
 tisti, nō satis esse hoc, nisi etiam rationes, quibus  
 ijs fulciendis, & stabiliendis in posterum prospe-  
 ctum esse possit, inires. Si namq; verum est, quod  
 Plutarchus ait, Vitam homini εὐνοία, id est,  
 cognitionem datam esse, unicumq; illud bonum,  
 scientiam, auctore Socrate, sine doctrina nemo  
 consecutus est, nisi fortè Manilium Senatorem  
 illum Romanum, αὐτοδιδάκτωρ, id est, doctrinis ci-  
 tra doctorem nobilem, cum Plinio excipiamus.  
 Ut certè verum est, quod etiam in Philebo gra-  
 vissimè scribit Plato, DEVM nimirum, consi-  
 derandi res omnes, nobisq; discendi, & docendi  
 nos invicè, tradidisse modū, doctoribus & scho-  
 lis opus esse, oculis pervidisti eruditis. Quemad-  
 modum enim belli dux, non in numerum tan-  
 tum relatos, & sacramento rogatos, quibus so-  
 lis hostem ferendi jus esse, ad Paulum Aemy-  
 lium Imperatorem M. Cato scripsit, sed & suc-  
 centuriatos habet, in exercitu, pro milite, qui-  
 bus vel ex auctoratorum, vel missorum, vel  
 consummatorum suppleat numerum: ita tu il-  
 lustris

lustris Domine in hac morum anarchia, pacis  
 munia solerter obeundo, docentium, & discen-  
 tium cœtum instituis, legitimum monasterio-  
 rum usum revocas, scholamq; CHRISTI, Pro-  
 phetarum, Ecclesie primitivæ, aliorumq; Chri-  
 stianorum Principum, vestigia sublegendo, ad-  
 aperis, ratus, id quod res est, unum esse, quo Ec-  
 clesia, quo Reip. consultum esse, semenq; suffici pos-  
 sit: ad quod alludens Plutarchus Ita, inquit,  
 pronuncio, unum esse primum, idemq; & me-  
 dium, & ultimum in hac re caput, educatio-  
 nem rectam, legitimam institutionē. Tu quan-  
 ti ad optima referat assuescieri statim, quo mo-  
 do casta illa impuberum ætas formetur, insti-  
 tuatur, non in Care (quod aiunt) periculum ef-  
 se, intelligis, experiris, teq; cum Scipione Nas-  
 ca, cui boni viri cognomen inditum, in annonæ  
 charitate, obstrepente populo, (ut est in historia  
 Romana) exclamantem mihi inaudire videor:  
 Tacete Quirites, plus ego, quam vos, quid Reip.  
 expediat, intelligo. Quid ni vero intelligas? qui  
 spontanea opitulatione Ecclesie, Reip. subve-  
 niendo,

niendo, non rogare te passus, quòd boni auxiliatoris esse, Arnobius dixit, vulgiq<sup>3</sup> erroribus ne quicquam offensus, ludum aperis literarium, munificentia, & liberalitate propria, de tuo das, quod nemini ereptum est. Quemadmodum enim tributum à gementibus collatum, & è lachrymis collectum aurum, ut sordidum tibi displicet, ita nunquam hoc beneficentiæ genus placuit, quod cum alterius injuria conjunctum est. Venit in mentem objurgatio Platonis, & Cratitidis, quorū hic Athenis, altissimo conscenso loco, exerte se proclamaturum dixit: Quo tenditis Athdnienses? in augenda re familiari plus æquo sudantes, filiorum, quibus aratis, navigatis, edificatis, nulla habita ratione, quo sint illi animo, ingenio? cui bono futuri? moribus, quibus nunc vivitur, justius pro dolor, usurpanda, quibus faciendæ, congerendæ pecunia, modus nullus, nulli fines, quibus æruginis, & peculij cura omnium præcordia ita possedit, & obsedit, ut honestum atq<sup>3</sup> utile non opinione tantum, quos excrari solitus est Socrates, sed & re ipsa distrahant:

trahant: quibus quo quisq; à literis relictior est, & imparatior, hoc majora premia, ampliores honores aufert, veraq; eruditio, ut insana & iners, malè audit, honestatis, probitatis, nulla curantia est, ubi res nulla minoris, dicente Satyrico, constabit patri, quam filius. Hac temporū iniquitate, & judicij peruersitate, nihil motus, vel omninò comotus, ludum aperis, & scholam, de tuo, ut jam sub te liberostollere libeat, & expediat. Et quanta tibi cura, disjunctissimos hac tua liberalitate contrahere, ut jam inde ab infantia, parètem publicum, educationis & institutionis munere, experiantur, de tuo crescāt, qui crescunt tibi, & beneficètia tua, ad stipèdia tua perveniant, tantumq; omnes uni tibi, quantum parentibus quisq; suis, debeant, & ut presentes, & posteros pari tibi benignitate devincias, aequè larga manu foveas, augeas, amplectaris, quo nullum est (auctore Plinio) magno Principe, immortalitatem merituro, impendij genus dignius. Periclem illū, virum apud Athenienses maximi nominis, & eloquentia adeò clarū, ut

M

Poëta,

Liberalitas  
& munifi-  
centia.

Poëta, & alij eum Dijs aquarent, & fulmina, ac tonitrua, inter dicendū ciere dicerēt, neglecti, erga Præceptorē suum Anaxagoram, officij notatum referunt historia. Erat quippe Reip. intētus Pericles, & Anaxagoras natu grandior, rei familiaris inopia premebatur, quod ferè philosophantium, & rem cōmunem agentium, commune fatū, ut est, sic Aristidis, Epaminunde, Agrippæ, Bibuli, Mummi, Fabij Maximi, Lysandri, aliorumq; fuit, adeo, ut jam præeestate, violentas manus sibi illaturus esset. Hoc cum Pericli innotuisset, confestim ad Præceptorem perrexit, eumq; supplex, fustis obsecrauit lacrymis, ut si vitæ jam pertæsum esset, nec ulterius vivere destinasset, sua saltē causa consilium mutaret, sibiq; vivere decerneret, quando eiusmodi cōsiliorum socio plurimū egeret. Tum Anaxagoras, O Pericles (inquit) qui lucerna indigent, oleum instillant. Tu quod ipsi abs te aperto ludo nō insuper habendum est, Præceptores delegisti, quorū & cognita industria, inculpata vita, & mores justæ reprehensionī non ob-

Præceptorum dele-  
ctus.

noxij.

noxij. Graviter, ut omnia, Socrates, nemini pueros ad erudiendum tradendos censuit, nisi quos doctrina, morumq; par honestas, deceret, & Plinius, artes (inquit) honestas, à quo quis accipiat, plurimum refert. Optimos itaq; selegisti, optimis namq; statim, hoc est, ab ipsis incunabulis ut edū, rectè monuit Fabius, à quibus nil audiatur puer, nisi profuturū, nihil discat, quod nescisse rectius fuerit, à quibus mores primū, mox literas discat, quæ malè sine moribus discuntur. Eruditos esse vis, quam primam esse curā velim, ait idem ille Fabius, egregios formandorum ingeniorū artifices, qui puerorum animos pigros, & latētes, injecta, ut ait Plinius, manu extrahant, nec quæ sciunt, malignè dispensent, quiq; captui eorū sese submittant, neq; ulterius, quàm insequi possit comes, procedant, qui animos primum, deinde linguas ex Iustiniani Imperatoris consilio & prescripto, studeant facere eruditas. Philippus Macedo, cum accepisset, genitum sibi filium Alexandrum, ad Aristotelem scripsit, se Dijs habere gratiam, non tam proinde, quod fi-

Instituendi ratio.

lius sibi natus esset, quàm quod eum nasci contigisset Aristotelis tempore, à quo quidem sperabat, eum sic institutum iri, ut se, & rerũ suarum successione, dignus evaderet. Intelligebat quippe Rex sapientissimus, non parvi referre, sub optimis adolescere Præceptoribus, qui viam, ut sunt in discendo rectam ingressi, ita sequantur in docendo industriam, & perspicuitatem, in instituendo methodum, & ordinem, in erudiendo fidelitatem, quiq; non Magistros, sed, exemplo Socratis apud Platonem, ministros se & velut obstetricum filios esse meminerint. Octavium Augustum Tacitus refert, vivũ, & spirantem adhuc, in provincijs habitum pro DEO (quam ut est apud eundem, Deum honor Principi non ante habetur, quã agere inter homines deserit, & apud Tertullianum, maledictum sit, ante apotheosin, Casarem DEVM nuncupare) magnum utiq; citra adulationem impiam, & insanam ambitionem, Principem fuisse significans, sed Philosophiæ præceptorem habuisse Athenodorũ, virum ætatis suæ integerrimum, &

Optimis sub  
Præceptoribus  
optimos  
adolevisse  
Principes.

Et doctissimum, non siluerunt historia, effectui  
 nimirum suam assignantes causam, Et nisi pra-  
 claris sub Praceptoribus claros nunquam ferè  
 extitisse viros subindicantes: talis Pericli fuit  
 Anaxagoras ille Clazomenius, Aristarcho A-  
 ristoteles, Aristoteli Callimachus, Ptolomeo Era-  
 tosthene, Trajano Plinius, Alcibiadi Socrates,  
 Theopompo Isocrates, Ciceronis filio Cratippus,  
 Hieronymo Didymus, Lactantio Arnobius.  
 De Achille, maximum Et clarissimum (inquit  
 Isocrates) virtutis suae edidit specimè, nec enim  
 in suis urbibus tantum principem locum tenuit,  
 nec in illis locis, in quibus cōsedit, sed expeditio-  
 ne suscepta à Grecis, contra barbaros, cum ne-  
 mo vir nominis alicuius, domi relictus esset, in  
 illis periculis Achilles omnibus antecelluit. Jc-  
 circo ingeniorum ille parens Homerus, Phœni-  
 cem ei Praeceptorem fuisse, nō tacuit, de quo Fa-  
 bius: sit ergo (inquit) Praeceptor tam eloquentia,  
 quam moribus praestantissimus, qui ad Phœni-  
 cis Homerici exemplū dicere ac facere doceat.  
 Hac quoniam Ecclesia, Et Reip. opus est lucer-

*na, tu lychnum suggeris, & thryallidas, siue el-  
 lychnia, è lino carpasio facta, oleumq; liberali-  
 tatis tuæ infundis. Verè sic judicas, quemadmo-  
 dū Aristippus, qui cū pro institutione filij mille  
 posceret denarios à patre, eoq; exclamante, se  
 totidem seruum emere posse, habebis itaq; respō-  
 dit, duo mancipia, filium unū, & quem emeris.  
 Sæpe (ait in Panegyrico Isocrates) admirari so-  
 leo, quid in mentem illis venerit, qui ludos gy-  
 mnicos instituerunt, corporumq; viribus tanta  
 proposuerunt premia: Eos verò, qui Reip. studio  
 labores capiunt, animisq; ita sese parant, ut alijs  
 quoque profint, nullo prorsus honore dignentur,  
 quorum utiq; ratio major habenda fuisset, & c.  
 Hac te res advertit, cur non vendibiliore, ve-  
 rum optimos selegeris, illisq; non ut est in Crate-  
 tis illius diario, triobolū, vel etiam teruncium,  
 sed te, Musis & Apolline dignū minerval, ma-  
 nu larga assignasti. Equidem Præceptores, in  
 tradendis omnium generū disciplinis, earumq;  
 ritè ponendis rudimentis duarū video esse par-  
 tium. Sunt, qui neglecta veneranda antiquita-  
 te,*

te, novo docendi genere, rebusq<sup>3</sup> novis, mirandum in modum subinde delectentur, quiq<sup>3</sup> non paucos sui studiosos, & sectatores habent, ob id, quod nova, & inaudita admirationē pariant, & splendore quodā insignita sint, quæ duo, animos hominum minimo ad se trahunt negocio, quo modo illustrem illam Philosophiam auxisse Aristoteles, optimus ille docendi, & discendi magister, auctor est, quando scilicet Ἰσοκράτους ait, ἡρῆξαντο οἱ ἄνθρωποι φιλοσοφῆν, id est, admiratio philosophandi causam præbuit hominibus. Hoc qui docendi genere delectantur, in hac sententia præfractè, & obstinatè subsistunt, & nondum comparatis artium instrumentis, discendi methodo, quâ, aut quomodo eundū sit, nulla commonstrata, auctorum in epitomas, sive in ipsos gravissimos quosq<sup>3</sup> auctores irruunt, sic enim liberrimam, & docendi, & discendi fore potestatem arbitrantur, cum ingenium, tam docētis, quam discētis, nullis præceptorum, & logicarū, aliarūq<sup>3</sup> artiū repagulis, cōclusum, in omne disciplinarum genus, evagari possit: Contrà verò, cum

certis

Docendi & discendi modus ratione methodus.

certis auctoribus, & præceptis addictū, & tan-  
quā gleba astrictū est, ingenij acies retundatur,  
& naturalis ille impetus, quo grādia, & varia  
metiri, meditari, & scrutari consuevit, infringatur,  
extinguatur, emoriatur. Præclarū enim  
ingenium, ad magna natū, ut ignis, alta petat,  
humis repere, sordidum, servileq; arbitretur. Al-  
tiusq; ibunt, vel auctore Fabio, qui ad summa  
nituntur, quam qui præsumpta desperatione,  
circa ima substiterint. Speciosa, & præclara hac  
prima fronte, & quæ primam aetatem, facile in  
omnia alia pelliceant, at non probabilia, pro-  
pterea, quod hoc docendi, & discendi genus va-  
gum, anceps, incertum, lubricum, & Andaba-  
tarum pugna per simile esse videam, certisq; (ut  
Seneca noster ait) ingenijs innutriri oporteat,  
neq; convalescat planta, quæ sepius transfertur,  
ut nec ad cicatricem vulnus perveniat, in quo  
crebra tentantur medicamenta, fastidientisq;  
sit stomachi, multa degustare, quæ ubi varia  
sunt, coinquent, non alant. Quemadmodum  
exercitus, et si milite lectissimo, exercitatusissimo,

& ut

Et ut Ennius Poëta vetus ait, maximè horrido sit instructus, nisi optimum habeat Ducem, multis clarum victorijs, cum hoste conferre manum, vel non audebit, vel si confligat, infeliciter pugnaturus est, propterea, quod neminem habet, cuius virtutem admiretur, imitetur, & superare etiã conetur, ut non abs re, Chabrias ille apud Athenienses, formidabiliorem videri dixerit, exercitum cervorum, leone duce, quam Leonum, ductante cervo: sic etiam, si præceptor eximius sit, & eminens, ut maximè nobile habeat, & frequens auditorium, si non auctores certos, non methodum, non viam, non ordinem sequatur à natura præscriptum, ingeniorum non habeat rationem, veram, solidamque eruditionem auditores consequentur nunquam. Hoc igitur docendi, discendiq; genere omisso, quod radices non agit, ducem non habet, vagum, & temerarium est, nec non in præcipitium trudit, hos scholæ tuæ præfecisti, qui in erudiendo, & instituendo, veterem illam Græcorum, & Latinorum docendi, & discendi rationem planam, certam, & expeditam sequantur, superioris ævi barbarie, & inscitia corruptam revo-

N

cent,

92 DE OFFICIO PRINCIPIS ET  
rēt, qui meminerint, quod asserit alibi Galenus ex  
Arcesilao, ὡς εἰς πίκου εἰς γναφεῖου φέρεται, id est, quod nemo  
lanam nondum carminatam, ad fullonem defe-  
rat, subjungens, τῶν γὰρ ἐστὶ ἄσπερ εἰώων ὄργασιας : ἔτι καὶ μα-  
θημάτων διδασκαλίας, id est, ut namq<sup>3</sup> lanificij : sic disci-  
plinarum addiscendarum ordo habetur, & hoc  
primum, hoc secundum, illud tertium in cunctis  
reperitur artibus : Ut q<sup>3</sup> rem in pauca conferam,  
qui cum Xenocrate, ut in eius vita subindicat  
Diogenes Laertius, disciplinas omnes, ordine quo-  
dam esse apprehendendas, sciant, antiquitatē reti-  
neant, colant, admirentur, & in ea, tanquam tu-  
tissimo acquiescant propugnaculo : antiquitatem  
dico, non nuperam illam, omnis superstitionis ma-  
trē, auctore Arnobio, & ματαλοτεχνίας, sed ultimam,  
& primam, sine qua Græcos, ad Archite dicit pla-  
tagen recidisse Plato, pueros esse, & ut loquitur  
Homerus, ἐφημέρια φρονέοντες, id est, diurna tantum  
scientes : qui Grammaticæ, Dialecticæ, ad vete-  
rem, veramq<sup>3</sup> Logices rationem accommodatæ,  
Rhetoricæ præcepta, Musicæ, Geometriæ, Astrono-  
miæ, Physicæ, Ethicæ, Iurisprudentiæ principia,  
Hebrææ, Græcæ, Latinæ linguarum fundamenta  
ponant.

ponant, jaciant, tradant, ad poëtarum, historia-  
rum lectionem assuefaciant: qui, quatenus, &  
quomodo philosophandum sit, norint: qui cum  
poësi philosophiam rectè temperent, inter cœlestis  
doctrinæ decreta & placita, nec non inter luxu-  
riantem, & aberrantem illam philosophiam, li-  
neam poscant, neque discidium linguæ & cordis  
fore arbitrentur, si rectè dicendi, & sapiendi ar-  
tes jungantur, de quibus, Scidit (inquit Fabius) se  
studium postea, & inertia factum est, ut artes esse  
plures viderentur, ut q̄ Cicero de Oratore, vetus  
(ait) illa doctrina, & rectè faciendi, & bene di-  
cendi magistra, eadem videtur: neque disjuncti  
Doctores: sed ijdem erant vivendi Præceptores,  
atque dicendi, ut ille de quo dixi apud Homerum,  
Phœnix, qui se à Pelio patre, Achilli juveni comi-  
tem esse datum dicit, ad bellum, ut illum efficeret  
oratorem verborum, actoremque rerum. Sed  
opinionibus non modo vulgi, verum etiam homi-  
num leviter eruditorum, qui, quæ complecti tota  
nequeunt, hac facilius divulsa, & quasi discerpta  
contrectant, & qui tanquam ab animo corpus:  
sic à sententijs, verba sejungunt, quorum sine inte-

ritu fieri neutrum potest, vis veritati (primum, namque quodque secundum Tertullianum verissimum) illata fuit: quique puerorum animos, ad virtutem, nam & hanc doceri posse, Plutarchus auctor est, & ad pietatem hortentur, flectant, illique, velut cera, veras de DEO, de natura rerum opiniones imprimant. Circumspiciamus, lustremusq; animo sublimiores illas facultates, ad quas hæc gradum sternunt, Theologiam, Jurisprudentiam, Antiquam Philosophiam, Medicinam, quamdiu harum disciplinarum auctores primos, ordinem, & methodum retinuerunt, explanarunt, auditores graviter inhortati, ut se ad illorū imitationem componerent, tamdiu disciplina hæc splendorem suum retinuerunt, Ecclesiam & Respublicas illustrarunt, & in summo steterunt honore. Hinc Theologi, quorum libri Hebræa partim, partim Græca lingua concinnati, dictante Spiritu sancto veteres illi, & primi emerferunt, quorum sermo omnis, de Ecclesia ex humano genere colligenda, partaq; per CHRISTVM salute cuiusvis credenti consumitur. Hinc Iurisprudentes, quorum ars & scientia, in florentissimo Ro-

mani sermonis statu nata, literisq<sup>3</sup> consignata est, quaq<sup>3</sup> nulla hoc idiomate, cultius, & elegantius per scripta, qua Ciceronem, Julium Caesarem, prima notæ viros, habuit politores, qua Scævola, Sulpitij, Papiniani, Ulpiani, Celsi, Africani, aliorumq<sup>3</sup> præstantium Jureconsultorum responsis, velut oraculis fulget, & omnibus in rebus, τὸ ἐπιμειναι, id est, æquitatem ob oculos habendam, graviter, prudenterq<sup>3</sup> monet. Hinc Professores sapientia nati, in luce, & oculis hominum collocati, naturæ obscuritatem dilucidè, aperteq<sup>3</sup> declararunt, quid cuique consequens, & coherens indicarunt, & vitam moresq<sup>3</sup> mortalium ad honestatem civilem formarunt, nec non hoc elogium, & velut testamentum ultimum reliquerunt, ἀνέχεσθαι καὶ ἀνέχεσθαι, id est, sustinere, & abstinere, quibus verbis duobus universam Philosophiam moralem complexus est Epictetus. Hinc clarissima illa Medicorum prosapia, qua quam sit antiqua, testimonio sunt Podalirius, Machaon, qui in Grecorum exercitu ad Ilium Medicinam fecerunt, vulneraq<sup>3</sup>, ut tum tempora ferebant, obligarunt cruenta: qua quanto Romæ olim in honore fuerit,

argumento est Iustinianus Imp. titulo Codicis, de  
 Professoribus & Medicis, libro decimo, quo loco  
 eos legibus solvit, publicis etiam, & civilibus mu-  
 neribus eximit Imp. Constantinus, quorum pro-  
 ceres Hippocrates, Galenus, è primis medentium,  
 & qui familiam ducunt, cum Philosophis, & O-  
 ratoribus veteribus, Gracè, omniumque optimè  
 locuti sunt, & hoc nobis, templi Apollinis in Delo  
 valvis affixum, sui  $\mu\eta\mu\acute{o}\sigma\upsilon\nu\omicron\upsilon\mu$  reliquerunt, &  $\acute{\upsilon}\nu\alpha\iota\upsilon\epsilon\mu$   
 $\alpha\sigma\sigma\omicron\upsilon\mu$ , id est, rem optimam sanum esse, quique, aut  
 in valetudine sarta, tecta conservanda: aut in-  
 valitudine profliganda, occupantur. Harum  
 facultatum semina, in his artibus, quæ earundem  
 communia quedam sunt instrumenta, spargun-  
 tur, quarumque usus est in Ecclesia, in Rep. in ci-  
 vili hac societate, privatim, & publicè, quarum  
 Encomium non hic ut dixi paro, sed tantum dico,  
 quod Plutarchus alibi, non posse quæ superstruxe-  
 ris, nisi fundamentis subsistentibus constare, &  
 non esse ferendos (ut verbis utar Fabij,) qui has  
 artes, ut tenues, & jejunas cavillantur, quæ nisi  
 ceteris fundamenta fideliter jecerint, quicquid  
 superstruxeris, corruet, necessaria pueris, jucunda  
 senibus,

senibus, dulces secretorum comites, & quæ in omni  
 studiorum genere sola plus operis habeant, quam  
 ostentationis, plus in recessu quam fronte promit-  
 tant. Ha disciplina omnes, cultum suum, orna-  
 tum, dignitatem, & majestatem, etiam inter  
 gentes immanitate barbaras, retinuerunt, ut te-  
 stes sunt locupletissimi, Lampridius, Herodotus,  
 Herodianus, Xenophon, idque tam diu, quam diu  
 patronos, & Mecænales fortes, constantes, po-  
 tentes, magnanimos, atque ut Horatius loqui-  
 tur, cinctos habuerunt. Honos enim parit, &  
 alit artes. Quod superest, si quidem bonis hisce  
 artibus schola ductu & auspicio tuo aperiatur,  
 omniaque ad benè, beateque vivendum necessa-  
 ria suppeditentur, nostrum, dum cucumere vesci-  
 mur, chlanas texere, omniumque bonorum fue-  
 rit, consentire in partem iuvare, pio quodam  
 Syncretismo conspirare, majoremque animum  
 ex tuo sumere, neque, siue quod omnium rerum  
 cupido languescat, cum facilis est occasio, siue,  
 quod tanquam saepe visuri quod datur videre,  
 quoties velis cernere, natura duce, ut est apud  
 Plinium, differamus, committere, ut presen-  
 tium

Perora-  
 tio cum  
 apostro-  
 phe.

98 DE OFF. PRINC. ET RECTA PVER. EDVC.  
tium & proximorum incuriosi, longinqua secte-  
mur vecordes. Et hic vota, tabulis hisce, pro tua,  
illustrissima tua Conjugis, & liberorum tuorum  
salute, concepta, nuncupata, non quinquenna-  
lia, non tacita, sed manifesta, casti, sobrii, probi,  
suspendimus. Jehova cuius cœli sunt & terra, qui  
orbem & complexum eius fundavit, Psalm. 89.  
vobis det aetatem, quam meremini, servet ani-  
mum, quem dedit, sub umbra alarum suarum, do-  
nec transeat calamitas, vos protegat, Psalm. 57.  
eius bonitas satiet, fulciatque vos, Psalm. 90. 94.  
exhilaret animas vestras, cor vestrum ad se ti-  
mendum uniat, Psalm. 86. & qui non recusat bo-  
num integrè ambulatibus, Psalm. 84. in atrijs  
suis plantatos florere faciat, Psalm. 90. velitque  
vota hac semper solvi, semperque signari,  
à templo sancto suo, quod est in  
Hierusalem.

D I X I